THOMÆ BARTHOLINI
EPISTOLARUM MEDICINALIUM
CENTURIA III.
Hiſtoriis Medicis aliisqve ad rem Medicam ſpectantibus plena.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

HAFNIÆ,
Typis MATTHIÆ GODICCHENII.
Sumptibus PETRI HAUBOLD, Acad. Bibl.
ANNO cIɔ Iɔc LXVII.

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO
DOMINO

ANTONIO
de COURTIN

CHRISTIANISSIMI
REGIS

LUDOVICI
XIV.

GALLORUM MONARCHÆ
CONSILIARIO MAGNO
ET
AD REGES PRINCIPESQVE
BOREALES
ABLEGATO EXCELL.

)(2 PRU-

PRUDENTIA INCLYTO,
MAGNARUM RERUM USU
CONSUMMATO,
ERUDITIONE SPECTATO,
ET
MUSIS NOSTRIS FAVENTI

IN GRATAM FRATERNÆ AMICITIÆ MEMORIAM

HAS PRINCIPUM AMICORUM EPISTOLAS DEBITO OBSERVANTIÆ MONUMENTO

D. D. D.

TH. BARTHOLINUS.

TH.

Digitized by Google

Th. Bartholinus Lectori S.

EXſolvo promiſſum ut bonæ fidei debitor. Ex condicto offeruntur reliqvæ Epiſtolarum Medicinalium Centuriæ juſta annorum ſerie qva ad me ſcriptæ ſunt, digeſtæ. De reſponſione noſtra, qvanqvam ſubinde tardiori, conqveri non poſſunt qvi ad ſcribendum provocarunt vel umbræ noſtræ amore vel rerum rariorum deſiderio. Una autem fidelia duos parietes incruſtavi. Publico prodeſſe volui, & amicorum officiis. Nemo facilè lectionis ſuæ operam eſt perditurus in Epiſtolis, qvas varia eruditio & illibata fides commendat, cæteras enim hinc exeſſe juſſimus, niſi vel ex

authore vel rerum indiciis locum pretiumq́; mereantur. Reliqvæ varietate curioſa indignæ non erunt, qvæ authores ſuos in memoriam dent ſeculorum. Non ægrè ferent amicæ mentes, qvarum in Epiſtolis gloriam nunqvam ultra verum extuli, ſi reſponſionibus meis non pauca hic, forſan etiam diverſa viderint eſſe addita. Hanc enim mihi licentiam condonari velim, qvod interdum novas ſubſtituerim, ſi qvando vel amanuenſium exemplaria deeſſent, vel dignæ lectoribus aliis epiſtolæ. Hinc plerisq́; meis, velut condimenta, in Medica exercitatione obvias Hiſtorias, vel ab amicis Naturæ Conſiliariis communicatas inſe-

inſerui, ut gratior familiaris eſſet pagina. Res ita nec ſine duce, nec comite procedit. His floſculis Epiſtolas ſuas per ora doctorum ſparſas exornarunt Hildanus, Horſtius uterq;, Fontanus, aliiq; priori ſeculo illuſtres, in qvibus cum delectu invenias qvæ & publicæ utilitati inſerviant & legendi faſtidium emendent. Cavi ego pari prudentia, ne amicitiæ, qvas cum Magnis Viris exerceo, oneri vel faſtidio ſint potius lectoribus, qvam voluptati. Nec mihi vivo, nec ſcribo, ſed omnibus. Certè in eam curam incubui diligenter, ut bonis familiaritatem, omnibus probarem juvandi ſtudium. Hoc fine Magni Rerumpublicarum domi-

domini commercia epiſtolica fovent, ut ſuis proſint & ſibi. Hoc animo eruditi epiſtolas ſcribunt, ut amicos ſincerè colant, & orbem ſine invidia doceant. Qvod an ſatis ex voto ſim aſſeqvutus, qvia ipſum me æſtimare neſcio, judicent amici, qvorum immortales pennæ in hac & reliqvis Centuriis loqvuntur, aliiq́ candidi rerum cenſores, qvi ſecretis noſtris literariis, remoto ſignaculo, interſunt. Verè enim Tragicus:

Poſt multa virtus opera laxari
ſolet.

CATALOGUS
Virorum Eruditorum à qvibus vel ad qvos
EPISTOLÆ
In Centuria Tertia ſcriptæ ſunt.

Antonius Deuſingius Med. D. & Profeſſ. Gröninganus.

Chriſtianus Willichius Med. D. & Poliater Stralſundenſis.

Eccardus Leichnerus Med. D. & Prof. Erfurtenſis.

Franciſcus de le Boe Sylvius Med. D. & Profeſſ. Leidenſis.

Fridericus Hammerieus Med. D. & Poliater Elſingoranus.

Georgius Segerus Med. D. & Poliat. Thorunenſis.

Gerhardus Blaſius Med. D. & Profeſſ. Amſtelodam.

Guernerus Rolfinck Med. D. & Profeſſ. Jenenſis.

Guido Patin Med. D. & Profeſſ. Reg. Pariſienſis.

Henricus à Möinichen Med. D. & Ser. Reg. Dan. Aulæ Medicus.

Jacobus Bircherodius Phil. D. & Profeſſ. Otthonianus.

Jacobus Holſtius Med. D. & Poliat. Tönningenſis.

Joel Langelottius Med. D. & Archiater Ser. Duc. Holſ.

Johan-

Johannes Blaſius J. U. Doct. & Advocat. Cur. Holland.

Joh. Caſp. Bauhinus Med. D. & Profeſſ. Baſilienſis.

Joh. Dan. Horſtius Med, D. & Archiater Darmſt.

Joh. Frid. Treublerus Med. D. & Poliater Bergenſis.

Joh. Heunius Med. D. & Profeſſ. Gryphisw.

Joh. Mich. Fehr Med. D. & Poliater Svinfurt.

Joh. Theod. Schenckius Med. D. & Profeſſ. Jenenſ.

Joh. van Horne Med. D. & Profeſſ. Leidens.

Martinus Bogdanus Med. D. & Reip. Bernenſ. Medic.

Martinus Schoockius Med. D. Prof. Francof. Honorar. & Ser. Elect. Brandeb. Conſiliarius.

Nicolaus Bentzon Eqves D. Marci, Med. D. & Med. Aalburg.

Nicolaus Stenonis Hafnienſis Med. Doct.

Nicolaus Stephanus Patritius Hafnienſis.

Olaus Borrichius Med. D. & Prof. Hafnienſis.

Paulus Barbette Med. D. Reipubl. Amſtelod. Med.

Petrus Schumacherus Ser. Reg. Maj. Dan. & Norweg. à Secretis Cameræ, & Archivis.

Th. Bartholinus.

Ad

THOMAM BARTHOLINUM

Facultatis Medicæ in Academia Hafnienſi Decanum, & Profeſſorem Regium honorarium.

MIrabunda videt celſis contermina ſtellis
Culmina Dana Claros, gaudia Cyrrha fovet:
Tu præluſtre decus patriæ generisq́, Lycei
Grandis honos, claria firma columna domus,
Inconcuſſa Machaoniæ data cœlitus arti
Deſtina, Pæoniæ lumen apexq́ ſcholæ,
In cœlum eveheris, meriti cumulantur honores,
Eminet auſpiciis Pallas honora tuis.
Præclari excellis genuina parentis imago,
Doctrina inſignes exſuperasq́ Patres.
Seu condigna placet Pataræo carmina Vate
Condere, Pierii gloria magna chori,
Seu velut Orator facundo promis ab ore
Stans Ciceronæis verba animata ſonis,
Seu disceptator nodoſa Sophismata ſolvis,
Atq́ refutari neſcia dicta fluunt,
Seu docta exponis Coryphæi ſcita Galeni,
Proficere ut Phœbo vota juventa qveat,
Seu dextræ ſolers humanos dividit artus
Sectio, ſpectantes qvæ dirimendo docet,

Seu

Seu primus monſtras lymphatica vaſa repertor,
Thoraciũq́; novas, quæ latuere, vias,
Seu lux obſcura ſeptis caligine rebus
Redditur, annoſus detrahiturq́; ſitus,
Seu depulſurus cruciantes corpora morbos
Ægrotis medicas vis adbibere manus,
Ut conſummatus Vir omnia puncta mereris,
Debenturq́; tuis laurea ſerta Comis,
Charmis, Ariſtogenes, Themiſon, Podalirius, Acron,
Phillyrides Chiron, Cous & Hippocrates,
Si tua jam poſſent redivivi ſcripta videre,
Clamarent animos obſtupuiſſe ſuos.
Bibliotheca tuum caput inſtructiſſima dictat
Se vulgaturos digna ſubire typos,
Scriptitat indefeſſa manus, fœcunda qvotannis
Muſa ſuperfœtat, Dædala præla calent.
Qvos exegiſti ſummis cum laudibus, anni
Collecti decies ſunt modò qvinq; tui,
Tot concinnatos vigilato ſydere libros
Edidit in variis ſic tua cura locis.
Miratus Lector diuturnæ tempora vitæ,
Ut plura evulges hic monumenta, vovet:
Laudatrix volitat ſpatioſum fama per orbem,
ARCTOUS cunctis claret APOLLO plagis.

ERICUS ERICIUS
Pontoppidanus,

P. L. C.

Th. Bartholini Epistolarum Medicinalium Centuria Tertia.

EPISTOLA I.

De Hepatis Exſeqviis Concertatio Poëtica.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

AMpliſſimas ago gratias pro ſvaviſſimis Tuis 10. Septembr Romæ mihi traditis, qvibus felicem Tuum, Cariſſimæ Conjugis, dilectiſſimorumq; liberorum reditum ad Urbem ſignificaſti; pro ſalute qvam Nob. & Cl. Viris Eqviti è Puteis, Holſtenio, Vizzano, Trulliis, dixiſti, plurimam reddo. Cl. Lucas Holſtenius hac æſtate dubia gaviſus ſalute, ſiniſtri Renis ulcere laboravit, urinamq; reddidit ſat copioſam at fœtidam; aliqvoties febrivit, poſt lon-

gum aquarum thermalium etiam Spadenſium uſum tandem convaluiſſe videtur. Domeſticus Cl. Johannis Trullii ſummam in ipſius ædibus experior humanitatem, variaq; indies & Medica & Chirurgica in ipſius praxi occurrunt notatu digniſſima. Qvæ tot jam annos in Arte ſeneſcens Anatomica & Chirurgica obſervavit, literis conſignat, eorumq; editionem brevi promittit, qvibus de Aneuryſmate tractatum adjungere decrevit, item de Caruncula Penis morbo hic ſatis familiari, item de Veſicæ calculo. Dum Romæ ſubſtiti; in re Medica, Anatomica & Chirurgica nihil prodiit. Obſervatam olim à Tychone Brahe ſtellam in pectore Cygni poſtea vero abſconditam, iterum rediiſſe aſſerunt Mathematici Romani, qvi tertiæ eam magnitudinis judicant; primum ipſis ab Hodierno indicium datum eſt. Unus vel alter agitur menſis, ex qvo elegans Epigramma pro reſtituenda Hepati ſanguificatione à Doctiſſimo Viro D. Auguſtino Campogallo Vicentino elaboratum à Cl. Viro D. Felice Viali magno utriusq; amico Patavio mihi transmiſſum fuit, cui plus pretii ſtatuerem, ſi tantum ab oculari demonſtratione mutuatum fuiſſet robur, qvantum ab eleganti dictione ſagaciq; Autoris ingenio ipſi acceſſerat. Totum Epigramma hoc eſt.

Hepar

Hepar funeratum à Bartholino.

Qvid jacet hic? Hepar. qvæ ſors tam dira peremit,
Infelix viſcus? Barbara penna fuit.
Abſtulit imperium: Vitæ tamen usq; pepercit
Græculus, ac aliqvid pertulit eſſe Jecur.
Clinicus at Theuton monſtrũ ratus eſſe nefasq;:
Naturæ triſtes miſit ad inferias.
Ars artem ſimulat: Tractat Veſpillo ſalutem,
Curat & infirmos cui tumulare placet.
Sed res ſum vivax: Poſt Fata renaſcitur Hepar,
Et vel apud Mortes morte carere ſolet.
Hoſpes abi, nec tu noſtros mirabere caſus,
Res nova jam non eſt me nigra Roſtra pati.
At fieri malim Plutonis Vulturis eſca,
Teutonici Corvi qvam ſaturare famem.

Cl. Viali per Tabellarium ſtatim reſcripſi eruditum hoc ingenioſi Poëtæ Epigramma longe mihi gratius fuiſſe, niſi liberaliori manu aſperſi ſales nativam innocentium Muſarum ſvavitatem corrupiſſent, nec qva eſſem ingenii infelicitate divinari me poſſe, qvid in elegantiſſima Bartholiniana dictione barbari ineſſet, niſi Barbarorum mereantur titulum, qvotqvot ob locorum diſtantiam intra Romanæ Urbis mœnia literarios ſuos fœtus in lucem non edunt, qvo nomine & nupero Epigrammati

barbariei nota inureretur, utpote Patavii ſcripto: Tanti verò momenti litem brevi ἀυτοψία dirimi poſſe; interim mirari me qvomodo humaniſſimi alioqvin Viri Muſæ ac Gratiæ acerbiora hæc Epitheta paucis hiſce lineis inſeri permiſerint, niſi cœco cuidam in Hepar amori totum imputetur. Et ut rectius ipſi obviam irem, breve carmen de vero Hepatis munere, feſtinanti calamo conſcripſi, laudatoq; viro una cum Epiſtolio miſi, ut reſponſum feliciùs expiſcarer; qvod tale fuit, nolle ipſum acerbius qvicqvam in Incomparabilem Bartholinum vel elegantiſſimum ipſius ſtylum eſſe dictum, ſed totum acumen furori poëtico debitum, nulla ratione injurium eſſe debere ſummo Bartholino, qvem barbariei nomine crudelitatis incuſat, qvod verum Hepati munus ſc. ſangvificationem detraxiſſet, cætera qvæ ſunt Epitheta, ob ſolum & ſimplex acumen addita. In majus ingenui reſponſi argumentum freqventes adducit laudes, qvas D. Campogallus T. E. pleno ore in dies aſcribit. Qvod Ipſi pro Epigrammate reddidi carmen, rude eſt, qvippe qvod ab infeliciPoëta effictum, diuq; eſt qvod manum de Tabula ſubtraxerim. Et licet meo non indigeres auxilio, meritiſſimi tamen Præceptoris cauſam intactam relinqvere

qvere nec volui nec debui; Veniam interim dabis ſimplicitati dictionis, qvâ ſine fuco ullisve verborum lenociniis dato ſtudio omiſſis, ſolaq; ἀυτοψίᾳ duce Natura verum nec tralatitium Hepatis munus in charta conſignavi, ut ſi ex diſſectionibus rectius qvid didiciſſet ſæpe laudatus Poëta, candidè reponeret. Carmen hoc eſt.

Ἐπίτασις funerati Hepatis.

Svave rubens nectar blando ſermone Medentûm
Fundebam, nec eram certè, qvod viſcus habebar
Sangvinei fons, & radix, autorúe cruoris,
Qvo me, qvo partes reliqvas Cor paſcit alitq;.
Huc rivos Natura parens, huc flumina Lactis
Diverti voluit, res eſt non falſa, diſerto
Pecqveto patuit, doctisq; eſt tradita ſcriptis.
Altius Humani Barthlinus Corporis antra
Rimatus, lactis latices fluviiq; jucundi
Ut me prætereunt, qvove ad Cor tramite vergunt
Dexteritate manus monſtrat, ſvadæq; lepore
Aſſurgit Cordi, cui priſcum reddit honorem.
Explicat in medio Thoracis lactea vaſa,

Qveis chylus invehitur Cordi, è qvo ſangvinis ortus
Nataleſq; fluunt; Cor ſuccum ſuſcipit album,
Commotum fovet igne ſuo, & pro lacte colorem
Indit purpureum, cunctoſq; emittit ad artus.
At ſi qvæ bilis toti nocitura pererrat,
Hanc traho & inſigni cribratam colligo cyſti.
Id mihi ſorte datum, ſoloq; hoc munere fungor.
Victas cedo manus Cordi, qvod ſangvinis omnis
Cura manet, ſolers ipſam mihi ſectio dempſit.
Vaſula, qvæ circum cernis ſplendentia, Lacte
Nulla tument, è me deducunt flumina Lymphæ,
Unde nec Imperium potero ſervare cruentum,
Qvod Cordi Natura dedit. Spes una ſalutis
Hæc ſupereſt, oculis uti gens credula neſcit,
Dum mihi qvæ Cordis fuerint, dat lactea vaſa.
Per qvos Majeſtas periit mihi, parcite pennis,
Ne totum moriar, ſed promptè incernere cribro

Morda-

Mordacem valeam per parva formina ſuccum,

In vos ut tumidi, faciles ſine felle recedant.

In eadem Cl. Vialis Epiſtola moneor in Anatome publica Patavii habita ab Excellentiſſimo D. Antonio Molinetto, veſicam parvam fuiſſe inventam majori urinariæ adnatam, qvæ tamen cum Ipſa communionem habebat. Item inter Diaphragmatis tunicas, ad dextrum, ad lævum, & in medio duo fruſtula oſſis viſa eſſe, qvæ Coronam argenteam Florentinam craſſitie & magnitudine æqvabant.

Hac hebdomade in ædibus Dn. Trullii vivum diſſecui Canem, Lacteorum ac Lymphaticorum verum progreſſum utriq; Trullio & aliqvot Anatomiæ ſtudioſis monſtraturus, qvos inter Pariſienſis qvidam erat Chirurgiæ ſtudioſus, cui Pecqveti ductus notiſſimus erat, ſed Lymphatica & ſalivalia penitus ignorabat. Circa Hepar Lactis veſtigium diligentiſſime inqvirenti nullum apparuit, nec qvæ à multis propugnatur in Pancreas inſertio. In Axillari Lactei ductus ingreſſum valvula donatum apertè oſtendi, cui altera adſtabat valvula Lymphatici majoris per Collum cum Jugulari interna deſcendentis ſæpius à me obſervati ingreſſum muniens, qvam leviter compreſſam

Lymphaticum aqvæ influxu manifeſte attollebat. Lymphatici ingreſſum in utroq; Colli latere viderunt. Miræ magnitudines erant qvæ cum ſpermaticis è teſtibus aſcendētes in glandulas Receptaculo vicinas ſe inſeruerunt. Oſtendi etiam ſalivalia ſat conſpicua. Celeſtinus Celeſtini Cortonæ degens, qvondam diſcipulus Joh. Trullii, in muliere qvadragenaria qvæ ſæpius pepererat, modo ob menſium ſuppresſionem gravida fruſtra habita, Hepar nuper invenit 40. librarum pondere. Hiſce vale qvam feliciſſime, ac porro ama.

Romæ 27. Septemb. 1659.

T. Diſcip. obſeqv.

Henr. à Möinichen.

EPIST. II.

De Hepate ſcirrhoſo, & ſano, deq; vagina uteri duplici.

Henrico à Möinichen Romam.

Grata mihi fuit Tua pietas & in retundenda barbara cujusdam eruditi penna, qvæ meam pro barbara traduxit. Barbarus dici non mereor, qvod Hepati aurem vellicaverim. Pius potius fui, qvia tyrannicam illius pote-

poteſtatem detexi. De hac pietate plures mihi gratulantur, ut nonnullorum latratus ſpernere debeam. Nuper in Conſultatione pro Nobiliſſima Matrona ſenſi hepar ingens & duritiem qvaſi ſchirroſam contraxiſſe, corpore reliqvo & florido & optimi habitus. Qvid igitur ſibi attribuet poſthac jecur, ſine cujus ope primaria corpus bene nutritur & ſangvinem cor conficit. Aliam Matronam illuſtrem curæ meæ ſubjecit fortuna, cui, ſalvo jecore qvantum ego perſpicere potui, in Aſcitem abdomen extendebatur. Unde ſudoriferis curata fuit. Rediere tamen, poſt moras aliqvot annorum, noduli in abdomine, primi exiles, mobiles, mox incremento ſumpto moleſti, qvos glandulas omenti eſſe ſuſpicabar ſeroſa humiditate tumentes. Alia exempla paſſim occurrunt, & alibi contra Hepar adduxi. Holſtenii Doctiſſimi ſalus grata mihi eſt, & publico & privato nomine. Qvid ad publicum conferre poſſit, non ignorant eruditi. Mihi Romæ degenti omnia amici officia exhibuit. Ampliſſimam Platonicorum Philoſophorum ſuppellectilem mihi in Bibliotheca oſtendit, qvam qvidem illi invidebam, qvia ille publico invidebat. Synopſin tamen ejusdem Philoſophiæ, cui ſemper fui addictior, conſcripſit, mihiq;

ejus ſpem fecit. Utinam ſtet promiſſis. Sed ſperare id non poſſum, qvia altioribus Aulæ curis implicatur. Plurimam illi, uti & Illuſtri Eqviti à *Puteo* & Cl. *Vizzanio*, ſalutem tranſcribo. Veſica duplex qvoq; magno *Caſaubono* fuit, ita calculo dilatante veſica, ut pro ſe ſolam efficeret. Rarius eſt, qvod natura in muliere qvadam à primo ortu duplicem uteri vaginam efformarit. Duplici natura mulierem inventam in Prodigiis refert *Obſeqvens*, nec diſſimilia exempla recitat *Licetus* l. de Monſtris. Fere tamen externè tantum in prædictis Natura muliebris duplicata apparuit, & ad monſtrorum claſſem relata. At mulier hæc Hafnienſis honeſta, nullisq; monſtris annumeranda, externo ſexus ſui diſcrimine, nihil à reliqvis differt, à primo verò natali die duplicem vaginam uteri duplici orificio patentem habuit, qvarum una anguſtior, latior altera. Per latiorem ex marito filiam enixa eſt jam viri potentem, cui an ſimilis vaginæ conformatio obtigerit, ignorare cogor, qvia ventrem ſuum inſpiciendum non conceſſit, & illas delicias amaſio illius lubens relinqvo. De Matre hac qvæ refero, fide qvoq; amiciſſimi D. *Aſſueri Payngk* teſtari poſſum, cui hæc ſacra revela-

vit,

vit, nulli revelanda. Sunt enim Eleuſiniæ. Tu verò, mi *Möinichèni*, vale diutiſſimè.

T. Thomas Bartholinus.

EPIST. III.

Promotio & Anatome Helvetica.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

NOn ſuſpectus Tibi erit, Excellentiſſime Vir, meus animus, qvamvis non meminerim qvando ad Te ſcripſerim. Iſtud debitum votis explevi qvæ apud DEum pro Te & tuis cottidie facio. Idem teſtabuntur cujusvis regionis eruditiſſimi. Qvid nunc agam publicè conſtabit, ut indicem qvid tibi Præceptori & tanto Mæcenati debeam. Unicum me graviter perculit, ſc. *Henricum Fuirenium* hujus promiſſi non fore participem. Sed rediit ad cœlum unde ortum habuit, ut exolutus periculis cottidianis, municeps beatæ qvietis foret. Idem de Rhodio pervulgatum eſt: Qvi aliqvoties mecum de ſuo Celſo dum Romæ morarer ut & hic egit. Vixi Romæ apud Illuſtrem Ferdinandum Furſtenbergium Pontif. Max. cubicularium ſecretum, Lucæ Holſtenio, Vizzanio, tum reliqvis eruditis ita innotui ut ferè manſiſſem Romæ. Jam Bernæ vivo qvod nunqvam cogi-

cogitaſſem. Interim mihi ipſi gratulor de iſta Patria. Sum hic extra veſtras belli turbas & armorum ſtrepitus, qvi pari modo etiam Marchiam patriam meam devaſtant. Receptus ſum, extra ordinem & exemplum inter antiqviſſimos cives, & ſtipendium accepi. Ex hoc Baſileæ ſummos in Medicina honores Senior Bauhinus contulit ſumma cum gratulatione his verbis: *Adſcende Bogdane hanc cathedram, & oſtende te Magni Bartholini Diſcipulum. Gratulor mihi de tuo Præceptore, & te ſuo diſcipulo: Inprimis qvod te, veluti ipſum ante 14. annos hoc menſe ijsdem inſignius huic conſeſſui illuſtri oſtendam. Faxit in Reipublicæ Helveticæ commodum.* In diſputatione mea *de Recidiva Morborum* nullius veſtigia ſecutus ſum, qvia nulla vidi: forſan in majus opuſculum excreſcet ſi DEo placebit. Jam paro tuo nomini doctrinam pulſuum juxta Herophili mentem, uti libros tres de Peditu abſolutos habeo. Sed vereor ex iſta materia ignominiam, & ſi Segerus ſub ficto nomine nihil ejusmodi metuendum dictitat. Habeo etiam animadverſiones in Hippocratis Aphoriſmos. Qvid Tu de iſtis ſentias, aperi, inprimis de Simeone Sethi qvem Pariſiis edidi. Qvicqvid edidiſti poſt meum diſceſſum cum Riolani Apologia à te poſco. Vale, Magne Præceptor cum

tua

tua Nobili uxore, liberis, fratribus, cognatis optime mihiq; fave. Bernæ 1659. 15. Decembr.

Martino Bogdano.

Martinus Bogdanus Doct. Med. & Facultatis hujusdem in Alma Baſileenſium Adſeſſor

S. P. P.

C. L.

ILluſtriſſimi noſtri Magiſtratus beneficio, Tibi, qvisqvis curioſior fueris intuendum proponam, qvæ Natura in nobis omnibus occluſit. Neutiqvam qvod DEI opus odio proſeqvi videor, ſed ut Te ipſum noveris, dum luſtrabis oculis & auribus utrumq; Palatium in ſeqviori ſexu. Scilicet & id, in qvo tuum ſpiritum primum concepiſti, & id in qvo idem, qvam diu vivis, habitat. Digito id Tibi monſtrabo, juxta ἐυχέιρχον mei Præceptoris Cl. *Thomæ Bartholini* in Dania Medici & Anatomici ſummi. Imo qvid in qvovis receſſu penitiori agatur, breviter & ſolidè oretenus exponam. Si vis adeſſe, ædes habebis liberas Alberti Baurenköningi Chirurgi, cras hora prima pomeridiana, & in poſterum qvavis die. Cæterum optimè Vale & Fave. Bernæ Helvetiorum A. C. M.DC. LX. XIIX. Decembr.

Impreſſ. Bern. 1660.

EPIST. IV.

De Recidiva, & Aphoriſmis Hippocratis.

MARTINO BOGDANO Bernam.

ET novam patriam & novos ſed meritiſſimos honores Tibi gratulor. Certè digniorem Hildano alium ſubſtituere non potuerunt Illuſtres Patres Bernenſes, qvam Bogdanum, qvi eruditione illum ſuperat, rerum uſu cum ætate æqvabit. Nihil do auribus. Publica fama loqvitur, & teſtari poſſumus qvibus etiam præſens innotuiſti. Magni Bauhini affectum exoſculor, & Te amare non deſinam, qvod etiam publicè in illuſtri loco me præceptorem agnoveris, & in ſectionibus adhuc ſeqvaris. Mores antiqvos ſervos, hoc eſt, candidos, ſemperq; Tibi ſimilis, illis es diſſimilis qvorum omnis vis virtusq; in lingva ſita eſt. Deum precor ut quæ Tibi magno tuo merito Senatus Bernenſis decrevit benè feliciterq; eveniant. De Recidiva Morborum Diſputatio ingenio Tuo digna eſt & eruditione. Pauca de illa ſcripſit *Stephanus Rod. Caſtrenſis* in Exercitationibus nuperrimè editis, ſed non aſſurgunt illa ad tui calami facundiam & ἀκρίβειαν. Si pleniore penna auctius iſtud argumentum tractare in te ſuſceperis,

ris, & RempublicarumMedicam augebis & tuam ſamam. Non Te terreant peditus invidorum, qvo ab incepto deſiſtas. Eruditus tuus calamus & mortalium utilitas, argumenti exilitatem emendabit. Si vidiſti de Peditu Diſputationem Anonymi, forſan erit incitamento ne ab opere ſuſcepto pedem retrahas. Titulum exſcriptum mitto, ut lepidum ingenium authoris videas: Diſcurſus Methodicus de Peditu, ejusq; ſpeciebus, Crepitu & Viſio, in Theſes digeſtus, qvas Præſide Clariſs. Viro Bombardo Stevarzio Clarefortenſi, pro virili defendere conabitur Buldrianus Sclopetarius Bleſenſis. Diſputabuntur autem in ædibus divæ Cloacinæ, à ſummo mane ad noctem usq; mediam. Clareforti apud Stancarum Cepollam, ſub ſigno Divi Blaſij, Anno M. DC. XXVI. Abutitur verò ille ibidem ingenio ſuo & extra Medici campum vagatur, inprimis in Corollariis, ubi ſeqventia Problemata addit I. An ubi multi flatus emittuntur, aliqvid decedat animæ? 2. An horologia poſſint fieri ex crepitibus? 3. Cur crepitus Imperatoribus aſſimiletur? 4. An hodie omnes peditus ſint legitimati? 5. An perſonæ pedentis dignitas aliqvid authoritati peditus? Exempli gratia, utrum Peditus Papæ dignior ſit, qvam gregarij alicujus ſacrificuli, ambo-

ambobus eadem qvantitate & qvalitate exiſtentibus? 6. An peditus arte Chymica diſtillari poſſit, ita, ut educatur Qvinta pedituum eſſentia? 7. In Muſicorum gratiam, qvot ſint genera crepituum, ſecundum differentiam ſoni? Reſp. 62. Qvi volet computet. Has aliasq; nugas ocioſorũ hominum nihili pendimus, ſed utilia à Te expectamus & erudita. Non dubito qvin in Hiſtoriis noſtris legeris, ex utero qvoq; peditum prodiſſe. Cæterum animadverſiones tuas in Aphorismos avidè expecto, ut ſciam qvod doctior pollex adhuc premit. Spero mitiorem à Te cenſuram, qvam fuit *Claudij Verderij*, qvi p. 143. rigidior juſto, ex Aphorismis ait veros qvosdam, falſos eſſe qvam plurimos, ex veris verò qvosdam ita veros, ut eos cum reliqvis poſuiſſe ridiculum illi ſit magis qvam utile aut neceſſarium; veluti, *poſt laborem qvietem eſſe optimam*, & qvando eſurit corpus ab opere ceſſandum eſſe: Inter falſos illum ponit, qvo mulieres podagram non pati tradit, cui contrarium qvotidianam experientiam docere. Qvid in excuſationem *Coi* præceptoris dici poſſit, non ignoras, nec dicam ego, ne noctuas Athenas. Diſplicet tamen, qvod *Verderius* de non lecto Aphorismo vel neglecto judicium tulerit. Mancum recitavit; ut

ut impugnaret. Dixit *Hippocrates* 6. Aph. 29. mulierem podagra non laborare, niſi cum menſtrua defecerint. Qvod ex eo repetit *Celſus* l. 4. c. 24. Sive ſuppreſſio fiat morbi vitio ſive ætatis. Ita novi grandævam matronam Chiragra podagraq; miſerè afflictam, qva ſublevata eſt, ſed magno ſuo damno, calculi ſucceſſione. In reliqvis qvoq; *Verderius* audiri non debet qvia ſecreta artis ignorat. Æqvior in eum eſt *Suidas*. Ita enim ille: Ejus libri tanqvam divino emanarint ore, ubiq; celebrantur; in primo jusjurandum continetur, in ſecundo Prognoſtica, tertio Aphoriſmi, qvarto illa admirabilis Compoſitio 60. libris omnem ſcientiam medicinæ complectens. Te igitur potius audiamus, qvem ſcio & Coi authoritatem venerari & experientia Medica eſſe inſtructum. Notas tuas in Sethum vidi, legi, probavi.

Scilicet ingenium, & rerum prudentia velox
Ante pilos venit;

Vale, mi Bogdane, & Tuum me eſſe Totum crede. Hafniæ.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPIST. V.

Alvi excrementa per Scrotum.

GUIDONI PATINO. Pariſios.

ADhuc DEI gratia ſuperſum, vivo & valeo, qvanqvam inter publicas patriæ calamitates intra & extra urbem hactenus ſim verſatus. Interea qvid Riolanus egerit, reſcire non potui. At Conſobrinum meum D. Henricum Fuiren amiſimus, vel ad cœleſtem patriam præmiſimus, Virum eruditione Medica & candore inuſitato conſpicuum, qvi inſtructiſſimam Bibliothecam Medicam & Muſæum Rariorum cum amplis ſtipendiis patriæ Academiæ legavit. Nos inter publicum privatumq; luctum in mediis nivibus de Nivis in Medicina uſu aliqvid Comentati ſumus, & Hiſtoriarum Anatomicarum telam pertexuimus. Finita verò Centuria ſexta, occurrit his diebus Ruſticus, qvi inter raros reponi meretur. In vicino pago Balderup ruſticus, cui nomen Olaus Andreas, ſupra annos 30. natus, cætera ſanus, præterito autumno apud cæmentarium operibus ſuis vacans, obſtructione alvi ſpatio dierum qvatuor & decem vexatus, aliis nihil proficientibus ſumpſit adipem balenæ cum cerevifia, qvo medicamento alvus ei liberaliter ſoluta, cui tamen ſucceſ-

ſucceſſit inflammatio Scroti in ſiniſtro latere, unde ſphacelus. Mortua Scroti parte ſponte ſua decidente, teſticulus ſiniſter ſanus comparuit, nec ulterius gangræna ſerpit. Per patulum verò foramen Scroti fæces alvi excernuntur, & qvicqvid per os aſſumit, tanta ſubinde violentia ut cum ſonitu ingenti erumpant, flatibus ſine dubio per inſolitam viam urgentibus. per alvum qvoq; die ſemel excernit, ſed per Scrotum ferè continuò, qvod ſine nauſea nec vidi, nec ſcribo. Herniam fuiſſe ſuſpicabar, inteſtinis in ſcrotum prolapſis, poſteaq; ab acri materia, forſan calce, eroſis, & ſuccedente gangrænâ ſcroto communicatâ; in qvo ſine intermiſſione fæces egeruntur, qvia nullo ſphinctere cohibentur, ſecus ac in ano. Forſan huic ſimilis fuit Æniates apud *Hippocratem* l. 7. Epid. in Deloretro in latus ſiniſtrum jaculo percuſſus, cui ſedes extra in ſcrotum prolapſa eſt, ſed qvinto die mortuus dicitur, qvia excrementis exitus per ſcrotum denegabatur. Hanc Hiſtoriam addidi, ne inanes ad Te, rebus occupatiſſimum feriis, literæ irent. Brevi ad vos ex Italia venturum Affinem meum D. *Henricum à Möinichen*, Anatomicum & Medicum Doctiſſimum, amicitiæ Tuæ commendo. Vale, Vir

ſumme, & freqventibus literis amorem ſolitum teſtare. Hafniæ

T. T.
Th. Bartholinus.

EPIST. VI.

Riolani mors.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

O Mellitiſſimas literas tuas atq; ſuaviſſimas, amiciſſimè Bartholine! Evangelium narras qvum ſcribis & indicas mihi Te vivere. Sæpius de Te cogitavi à 4. annis, à qvibus fortiter apud vos Bellona furores ſuos exercuit. Deo ſit laus & gloria, cujus benignitate vivis & vales. Potentiſſimus veſter adverſarius tandem abiit ad plures. *D. Henricum à Möinichen*, amicum tuum commendatiſſimum habebo. De obitu noſtri *Riolani* ad Te ſcripſi, ipſo menſe qvi fuit illi emortualis: Fati legem adimplevit anno 1657. Die Lunæ 19. Febr. anno æt. 80. A qvo tempore nova prodiit editio ejus Enchiridii Anatomici & Pathologici, in 8. cum paucis additionibus ac levioris momenti. Conſobrinum tuum *D. Fuiren*, qvem hic olim vidiſſe memini, ſerio lugeo. Novum faſciculum

lum adornabo, qvem tradam *D. Henr. à Möinichen.* Tu verò cogita de veſtris qvam primum mittendis. Te & optimos fratres interea ſaluto Vive, vale, & me ama. Datum Pariſiis, die Veneris 20. May. 1660.

Tuus ex animo
Guido Patin, Doctor Med. & Prof. Reg.

EPIST. VII.

De Fœtu Mußipontano.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

GRatulor ex animo de pace obtenta, Deumq; ſerio precor, ut ex animo impoſterum valeatis & vivatis, & omnia ex voto cedant. Deus Te, mi *Bartholine*, ſervet incolumem in artis noſtræ decus & incrementum. Ne vero præter vota, inanes mittam literas, includo mirabilem caſum Muſſipontanum. Ab amico Gallo Gener meus *Laur. Strauſſius*, Auliater Darmſtatinus illum accepit, atq; ad ipſius inſtantiam Reſolutionem, qvam vides typis expreſſam, excogitavit: Ego tamen multa deſidero qvoad ipſius hiſtoriæ veritatem, & ipſius reſolutionis varia contenta, ut ut Dn. Comes

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digbæus pronuper Pariſiis ſcripſerit ſe fœtum illum vidiſſe. Tu, Excellentiſſime Vir, qvæſo penitius rem volve & evolve, &, niſi ingratum ſit, Doctiſſimo Tuo reſponſo me bea, & me amare perge, qvi ſum.

Darmſtad. 9. Sept. 1660.

Excell. T. addictiſſ.

J. D. Horſtius.

EPIST. VIII.

Reſponſio ad fœtum mirabilem Muſſipontanum.

JOH. DAN. HORSTIO Darmſtadium
TH. BARTHOLINUS.

POſt tandem reductam pacem & tranqvillitatem, utinam duraturam, de tua ſalute ſollicitus, à DN. LINCKERO, Cognato Veſtro, qvi in Comitatu Legatorum Anglicorum nobiſcum diu vixit, erigor. Benè te valere fidem fecit, idemqve jam per gratiſſimam Epiſtolam nuncias, cujus alloqvio non parum lætatus, inter optatæ pacis fructus etiam reputo, qvod inter amicos redeant literarum commercia

tia antea interrupta. Tua inprimis pergrata recordatio, mi *Horſti*, de qva ſæpe cum Cognato tuo loqvutus ſum, qvum temporum infelicitatem tui memoria mitigarem & illius colloqvio, qvem etiam tui cauſa amavi. Qvod verò ſcribendi officio me anteverteris, culpam imputabis triplici prælo, cui qvotidie vaco. Sudant enim ſub torculari Centuria qvinta & ſexta Hiſtoriarum Rararum, qvibus *Rhodii* noſtri, inſigni Literariæ Reipubl. damno non ita pridem defuncti, Mantiſſa Anatomicarum Obſervationum annectitur. Alium Typothetam exercent Obſervationes variæ de Nivis Uſu Medico, qvibus accedit de Nivis figura Diſſertatio fratris & Collegæ D. *Eraſmi Bartholini*, qvi te multum æſtimat & ſalutat. Tertium prælum occupatur in Panegyrico, qvem nuper Auguſtiſſimo Regi noſtro publicè ipſa Majeſtate præſente dixi, qvum omnes Daniæ Ordines Regnorum hæreditariam poſſeſſionem Regiæ familiæ utriusqve ſexus ob ſumma in patriam merita ſubjectiſſimè obtuliſſent. Qvibus finitis ſuccedent Centuriæ duæ Epiſtolarum Medicinalium, qvarum tu magna eris pars, & Ciſta Medica Hafnienſis variis caſibus & Conſultationibus referta. Prælo qvoqve ſe accingunt Opuſcula mea Lactea & Lymphatica cum de-

 ſen-

ſenſionibus & ſpicilegiis uno volumine digeſta & aucta. Hiſce aliisqve intento & temporum horum mutationibus, commodè per tabellarium allatæ literæ tuæ moleſtias ſolantur & Caſum ſtupendum *De Fœtu extra uterum mulieris Muſſipontanæ in abdomine retento, tandemqve lapideſcente* proponunt expendēdum. Multum tibi Vir Magne, debeo qvod Rararum Obſervationum particeps reddar, plus tamen, qvod meo aliqvid tribuas judicio, digna profectò eſt Hiſtoria, cui aliqvot horæ impendantur, & ægrè fero, qvod aliis diſtractus accurata lance ſingula in præſenti non poſſim expendere Neq; tamen ulterius amicum reſponſum differam, ne vel in officio ſegnitiem vel in judicando tarditatem incuſes, qvum moræ culpam luere debeat tabellarius, qvi IX. Sept. 1660. exaratas tuas literas, heri primum Cal. Novembr. ad manus meas detulit. Qvidqvid ſit, qvicqvid in mentem venerit de inaudito ferè caſu, paucis aperiam, ut tibi, cui nihil denego, morem geram. Principio de Hiſtoriæ veritate conſtare debet, qvam ſuſpectam non pauca reddunt, niſi aliis fide dignis evincatur teſtibus. Temerè monſtroſis Obſervationibus, qvæ vim conſvetæ naturæ inferunt, non credimus, qvia ſæpe nos otioſa ingenia & faceta deludunt, non nun-

nunqvam & lucri ſpe multa finguntur, qvæ nusqvam neqve picta fuerunt, neqve ſcripta; non rarò qvoqve inventis & viſis aliqvid ſive ex ingenio additur, ſive ex ignorantia. Author Hiſtoriæ tacetur, cujus authoritati plurimum tribuimus, & idonei deficiunt teſtes. Si Medicorum Almæ Univerſitatis Pontimuſſanæ narrationem, & ipſius Decani Domini Pillement, per amicum procuraveris, de rei veritate ſecuriores reddemur. Interim ex uſu fuiſſet, ſi mulieris iſtius ſexagenariæ conditiones accuratius expresſiſſet Hiſtoria. Qvot nempe liberos in conjugio olim peperiſſet, & qva facilitate, qvibusve ſymptomatis. An conjuge orbata integræ ſemper fuerit famæ. Qvando menſium fluxus ſubſtiterint. An vivente marito gravidam ſe putaverit ſenſeritqve, an eo defuncto geſtationis hujus dolores inuſitatos ſit experta. In fœtus qvoqve Hiſtoria deſideramus diligentiorem manuum pedumqve deſcriptionem, oſſium, umbilici faciem &c. Non aſſeqvor ſymptomatum, de qvibus mulier apud Medicos dicitur conqveſta, rationes. Ex ponderoſo onere & permoleſto, tribus infra umbilicum digitis, injuſſæ alvi dejectiones, & invitus plerumqve urinæ fluxus, imò & ipſius ani procidentia ſeqvuta memoratur. Certè con-

traria his debuiſſent accidentia ſuccedere. A mole enim compreſſũ inteſtinum rectum, ſiſtit alvum, & qvanqvam in prægnantibus compreſſa veſica ad freqventiorem excretionem ſollicitetur, tamen eſt invita. Poſt partum ſæpe ani procidentiam obſervamus, ſed in prægnantibus fœtus grandior ſi non poſſit inteſtinum loco ſuo movere, & pellere, qvæ cauſa fingi poteſt, cur moles hæc & pondere minor & magnitudine alvum protruſerit. Qva parte abdominis hæſerit fœtus, non ſatis exprimitur. Si tribus infra umbilicum digitis ſitus erat, parvo intervallo diſtabat ab utero, qvod monendum fuerat, ut conſenſus cum utero clarius innoteſceret, & reliqva ad uterum ſpectantia & conceptionem deſignarentur. Vincula qvibus moles hæc pendula alligabatur, ex lateribus peritonæi feruntur orta, ſed an nervoſa fuerint, vel carnoſa, vel deniqve venoſa, non addit, an cum uteri lateribus commercium habuerint. Membra ipſa fœtus nullis intervallis diſtincta aſſeruntur, & ita cum reliqvo corpore coaluiſſe, ut inſpicientium aciem oculosqve propemodum ſubterfugerent. An id vi lapidificæ tribuendum, qvum formatrix non ſit culpanda. Mirum autem mihi videtur, qvomodo in lapideam duritiem dicatur converſus

fœtus,

fœtus, & tamen diſſectoribus patuerit cerebri apertio, & viſcerum medii infimiqve ventris inſpectio. Præterea tam accuratè cerebri ſubſtantiam & tunicas ſector cum corde &c. ſeparavit, ut etiam tenellum uterum pro ſexus argumento extraxerit: Integer tamen adhuc ſervatur in Authoris pharmacopœa domeſtica. Eximendi nobis ſunt hi ſcrupuli prius, qvam narratis plenam fidem mutuemur. Si producti fuiſſent teſtes, pro vera hypotheſin acciperem. Jam liberè dubitamus, qvia ex incerto authore, fama ſit incerta & dubia fides. Qvanqvam pronuper Pariſiis ſcripſerit Illuſtris Comes Digbæus, ſe fœtum illum vidiſſe, tamen anſa dubitandi relinqvitur, qvia fœtum ex abdomine exſectum ipſe Comes ſuis oculis non vidit, plenum alioqvi tanto Viro conſenſum deberemus. Cur ſex luſtris majorem molem non produxerit Natura nunqvam otioſa, dictu difficile, qvum elephas citius increſcat, & arcanas lactearum vias agnoſcat Author ad latentis fœtus nutritionem, vel enim perfectum fœtum molitur Natura, vel ſi impar ſit, ad putredinem devolvit. Sed putredinem ſalinus ſpiritus arcuit, qvo lapideum corpus emerſit, qvod in Lithopœdio Senonenſi vidimus. In Auguſto Sereniſſimi Regis noſtri

muſæo,

muſæo, Lithopædium illud contrectantes, nullam interiorum fabricam, potuimus ſcrutari, qvia ſaxea ſoliditate univerſum corpus infantile induruerat. Mirum dictu, qvod in fœtu Muſſipontano lapideæ partes externæ fuerint, & tamen internæ cultro Anatomico patuerint. Obtuſius mihi ingenium eſt, qvam ut iſta capiam, niſi clarius mentem ſuam aperiant, qvi præſentes fuerunt Medici vel Chirurgi periti, qvi ſciunt qvid diſtent æra lupinis. Alii enim ſpectatores ex rerum imperitia ſubinde Naturæ addunt fingunt qve & in vulgus diſſeminant, qvæ à Natura prorſus ſunt aliena, cujus hiſce diebus in urbe noſtra habuimus exemplum. Uxor civis Haſnienſis primarii prolem feliciter enititur, & lochia copioſius profluxere ad diem qvartum decimum, qvo horrore corripitur puerpera & novis parturientium doloribus. Acceríitur denuò obſtetrix, & ad novum partum ſeu ſuperfœtationem, omnes attonitæ mulieres præſentes excipiendam accinguntur. Mox ingentibus conatibus excluduntur molæ duæ, qvibus diſſectis veſtigia duorum fœtuum comparent & mulieribus imponunt, qvæ per urbem univerſam eliminant duos fœtus ſuis in volu cris contentos, eſſe editos. Forte advocatus aderat *D. Paulus Moth*,

Regi-

Regius Archiater, amicus noſter integerrimus, qvi excluſas molas curioſius examinans, ſparſam famam emendavit, viditqve non fœtum ullum involvi, ſed in mola nervoſas fibrillas, in molis aliàs uſitatas, ſpeciem qvandam embryonis mentiri & ignaris credulisqve mulieribus impoſuiſſe. Ita vulgi rumorem correxit peritia Viri & in hiſce ſacris verſati obſervatio. Non negamus dari ſuperfœtationes, qvarum exempla ſuppeditavit *Bauhinus* Append. 6. ad Roſſet. nec in patria deſunt. Nobilis enim Matrona pluſculis abhinc annis poſt primum partum maſculæ prolis, qvarta hebdomade alterum enitebatur vitalem, & utrumqve diu ſatis ſuperſtitem, uno eodemqve nomine inſignitum. Molas interjectis aliqvot diebus partum verum ſubſeqvutas, ipſe vidi. At hic judicio non vulgi ſtandum, non mulierculárum ſed Medici in artis operibus exercitati & veri Naturæ interpretis. Hinc mentem meam ſubiit cogitatio, fœtum Muſſipontanum ſpecie ſui qvadam ſpectatoribus impoſuiſſe, niſi aliter à Medicis præſentibus fuero edoctus. Tumoris anomali ſpecies eſſe potuit, humanæ perſimilis. Iſtorum tumorum tanta eſt varietas, ut illis enumerandis ne *Severinus* ipſe in præclaro Opere ſuffecerit. Ætas mulieris ſi

con-

conſideretur, annum ſexageſimum prætervecta, ſi cælebs tot annorum vita expendatur, certè conceptui erit inidonea, ſed apta tumoribus ob menſtrui fluxus defectum & ſenilis colluviei collectionem. Ipſe locus accommodus excipiendis ad abſceſſus anomalos impuritatibus. Ex Hiſtorica relatione hæc moles adacto omentum usq; ſcalpello emerſit in ſentina corporis. In omenti glandulis ſæpiſſimè tumores in venimus. Magnum omenti tumorem ſcirrhoſum deſcribit Joh. Huld. Streiterus Epiſt. ad GREG. HORSTIUM, Magnum Tuum progenitorem Sect. 11. pag. 453. Ego nuperis annis curationi Nobiliſſimæ Matronæ viduæ ſexagenariæ Hydropicæ interfui, cujus abdomen tandem medicamentorum ope ſubſedit, ſed remanente tumore qvodam, ovi anſerini magnitudine, duriuſculo, qvi modo in dextro hypochondrio modò ſiniſtro tangebatur pro vario ægræ ſitu, qvem exiſtimavi non vanâ conjecturâ in glandula omenti reſidere ex reliqviis morbi magno nobilis ægræ commodo. Tumorum varia eſt & forma & materia. Sunt qvippe ſangvinei, carnei, adipoſi, piloſi, verminoſi, lapidoſi, oſſei, pro varia contentorum ratione. In figura tanta naſcitur differentia, ut rudem fœtus imaginem exprimi & à vulgo

à vulgo æſtimari, mirum non ſit. Corporis humani partes paſſim in lapidibus, plantis, conchyliis à Natura effinguntur, in nonnullis totus homo. Mandragoræ radix homunculum refert, ſicut diſſecta filicis radix aqvilam. Juglans cerebri humani gyros, membranas, ventriculos exprimit, qvod etiam nux moſchata obſcurius imitatur. Teſticuli in ſatyrione repræſentantur, pulmones in pulmonaria, renes in aſaro. Vidi ſilices in externam hominis figuram qvaſi arte tornatos. Hominem ſiliceum mammas tenus in Muſæo ſuo habuit beatus noſter *VVormius*, deſcripſitqve in Hiſt. Nat. l. 1. Sect. 2. cap. 13. exactè referentem caput, collum, humeros, pectoris ſumma, oculos & naſi protuberantiam, ſcapulas ac colli muſculos. Referente *G. Agricola* l. 7. Nat. Foſſil. cap. 5. Conſtantinopoli in Sapientiæ Templo, ſunt duæ candidi marmoris diſſecti cruſtæ, qvarum utriusq; maculæ, nonnihil cinerei coloris, ita ſponte naturæ diſcurrunt, ut totam D. Johannis Baptiſtæ, veſtiti tergore cameli, imaginem repræſentent. In Miſnia Monachi faciem habitumqve in lapide repertum ferunt, qvum Lutherus reformandæ Eccleſiæ incumberet, ſicut in aliis haleces, & in meo ſerpens viſitur. Ad partes ſi deſcendamus, eæ paſſim in lapidi-

bus

bus à Natura exſculptæ ſunt. Cor enim aliqvi referunt, alii renes, lienem, lingvam, pedes. Scribit *Baptiſta Fulg.* lib. Collect. c. de gemm. & Lapid. natur. ſculptis, qvod in agro Placentino ſuo tempore lapis Alabaſtrites inventus ſit, in qvo figura apparuit capitis humani mortui, qvem hoc nomine laudat *Chaſſanæus* Cat. Glor. Mund. part. 12. Conſ. 91. *Plinio* ſi credimus l. 37. c. 10. Diphris, ſive Diphyes, ut legunt *Geſnerus* & *Agricola*, genitale utriusqve ſexus monſtrat. Priapolithos prope urbem Caſtrenſem reperit P. *Borellus* Cent. 3. Obſ. 85. Qvid de tuo Hyſterolitho dicam, qvem tuo beneficio apud Magnum noſtrum *VVormium* olim vidi, deſcribuntqve *Boetbius* de Gemm. & Lap. c. 225. *Geſnerus*, *Agricola*, *de Laet l.* 2. de Gemm. cap. 15. & figuram *Beslerus* in Gazophylacio Rer. Nat. addit, ſed accuratius *VVormius* l. 1. Muſ. Sect. 2. cap. 13. tuo ipſius dono. Muliebre pudendum exactè monſtrat, ſicut & concharum qvædam genera paſſim obvia. Ea ratione etiam in tumoribus anomalis corporis noſtri variæ figuræ poſſunt imprimi ad humanam ſimilitudinem. Caput infantile, oculis, naſo, & ore diſtinctum propendens puellæ noſtræ tumor æmula ſpecie referebat, cujus hiſtoriam Cent. 1. Hiſt. ſignavimus. Steato-

mata

mata varia ex morbidis extraximus, varia figurâ. Carcinomata qvoqve inæqvali protuberantia diverſam faciem oſtendunt, præſertim exulcerata. Extirpavimus anno ſuperiori ex abdomine feminæ honeſtæ carcinoma, capiti infantis haud abſimile. Nolo tamen has ſuſpiciones tibi, inclyte Horſti, proveris commendare. Documento tantum ſint, temere non eſſe recipienda, qvæ ſine idoneis teſtibus inter vulgus ſparguntur, qvum multa ſint, qvæ ſimilitudine & ſpecie humanâ prima fronte mortales deludant. Indicta hæc volo, ſi vera narraverit fama, ſi verum fœtum exſectum fuiſſe vel Tu, in his lynceus; vel fide dignus alius perſvaſerit.

Credamus interea Hiſtoriam veram eſſe; ne nobis indignetur Enarrator, & qvia externæ & internæ fœtus partes ordine ſuo recenſentur ponamus iſtam ſuppoſitionem, ut ad veram cauſam inveſtigandam accingamur. Ex Hiſtorica narratione moles cui fœtus includebatur inter peritonæum & inteſtina tenuia in infimo hypogaſtrio reperta eſt pendula, qvatuor firmiſſimis vinculis ex peritonæo ortis ſuſpenſa, qvinto verò tenacius inteſtinis tenuioribus, qvibus incumbit, annexa adeò ut extra uterum prorſus alieno loco fuerit collocata, & uterus

ipſe matris illæſus intactusq́; dicitur, nullo obductæ cicatricis veſtigio. Uteri verò vicarias operas ſupplevit ipſius molis involucrum duriſſimum, qvod bubuli ventriculi tunicas colore referebat & craſſitie. Hinc tres oriuntur difficultates enodandæ, tuoqve judicio limato ſubmittendæ. Prima, An extra uterum conſvetum conceptio fieri poſſit & fœtus conformatio. Deinde, qvia ſine ſemine virili nusqvam fit conceptus ubicunq́; deniq; fiat, qva via ad vacuum ventris pervenerit. Deniq́; qvo artificio ſe per ſex luſtra in novo hoc utero ſine putredine conſervaverit, & ſine ulteriore ſui augmento. Primum qvod ſpectat, qvanqvam ad communem generationis normam uterus ſit neceſſarius, tamen & illius vices aliæ partes ſupplent, qvæ vel cavitate idonea, vel ſufficiente calore præditæ ſunt. Uterus ordinaria Naturæ lege huic officio deſtinatur, ob commoditatem & ſeminis recipiendi & fœtus nutriendi & excludendi, non qvod aliis partibus ea vis denegetur, ſi tam commodo eſſent loco ſitæ. Uterus præter calorem foventem & locum aptum ad generationem nihil confert, ſicut nec ovi teſta ad pulli conformationem. Semini vis formatrix ineſt, qvæ externo qvocunqve calore adjuvanda eſt, & commodo

muni-

munienda rereptaculo. Carteſiani ſolo calore id fieri credunt, qvo ſeminis parriculæ agitatæ ob ſuas figuras neceſſariò in germen animalis abeunt, eo modo qvo ex oblongis ſalis particulis inaqva vi caloris agitatis & inter ſe conjunctis variæ ſalium, ſtirpiumqve imagines efformantur, qvemadmodum commentatur *Henr. Regius* fundam. Phyſ. cap. 10. Igitur alius qvicunqve locus capax & calore tepens, ad fœtus conformationem aptus eſſe poteſt, qvanqvam non ad excluſionem, unde ita ordinaria naturæ voluntate ſtatutum eſt, ut eo plerumq; loco concipiatur fœtus qvo commode non ſolum conformatur, ſed & excluditur. Certè ſi penitius naturam inſpiciamus, omnes particulæ corporis noſtri in ſe habent generationis principium & locum, & in ſe generant qvotidie, ut meritò olim qvis dubitaverit idemne eſſet adultus, qvi puer fuerat. Apud *Salmuthum* Cent. 3. Obſ 94. ex nefando & igne expiando congreſſu juvencula fæmina peros infantem enitebatur, ſine dubio in ventriculo conceptum & efformatum, ſed qvia diu moram ibi trahere non potuit, ob ventriculi motum & aſſumptorum impedimenta, digiti longitudinem non exceſſit infans, & maximis doloribus, ſummoq; vitæ periculo partus fuit. Hujus qvi-

dem Hiſtoriæ veritatem impugnat *Ludovicus Keplerus*, Vir Doctiſſimus & meliore fortuna dignus, in diſſertatione de Baſiliſco, qvam præſens mihi nuper in tranſcurſu oſtendit. Sed teſtatur *Salmuth*, ſe ex literis Joannis Komeleri, in Conſulis illius civitatis, ubi hæc acta, ædibus tum degentis, ut oculati & fide digni teſtis, ad Gothofredum Hoffmannum affinem & Compatrem ſuum datis, hæc deſcripſiſſe. Pro nutritione & augmento exili, vaſa ventriculi ſufficiebant, vel ipſe vicinus chylus. Nec novum eſt in ventriculo, qvanqvam continuo aſſumptorum motu abluatur, tamen & apoſtemata, tumores &c. coacervari, ſuisq; pelliculis includi. Tophi cortice duro ſed ſubſtantia piloſa in animalibus conflantur, & diu in ventriculo aſſervantur, de qvorum generatione erudite nuper ſcripſit in Ægagropilis *Georg. Hier. Velſchius*. De Bezoar *Bauhini* diligentiam jam dudum orbis ſuſpexit. Ex bovino ventriculo tophum mali granati magnitudine poſſideo. In Islandici arietis ventriculo 50. hujusmodi reperti, ovo columbino æqvales, qvorum aliqvot in Pinacotheca ſervo. Folliculos vermium ibidem obſervavi in bobus, porcis &c. Nec ab ſimilia in homine notata *Qvercetano* in demonſtr. Hermet. Med. cap. 5. J. *Jac.*

Craſtio

Craſtio ad Hild. Cent. 2. Obſ. 71. *Panarolo* Cent. 1. Obſ. 41. Calculos plures qvam 30. fundo ventriculi, pertinaciſſimè adhærentes extraxit *Joh. Bilgerus* in Epiſt. ad Clariſſimum Tuum *Parentem* Sect. 11. pag. 456. Et ego ſilices & benè multos & ſatis grandes ex ventriculo agni exemptos habeo. Igitur alienas res ſibi concreditas & ventriculus cuſtodit, & vel ſuis tunicis claudit, vel propria cujusq; rei membrana involvit. Tophis ſeu pilorum faſciculis cruſtam duram obducit. Cur ſemen æqve hic atq; in utero non exſtrueret ſibi domicilium ſeu ſecundas membranas? In brutis neſcio an hujus extet exemplum. Frater tamē meus amantiſſimus *M. Albertus Bartholinus* non ita pridem mihi narravit de fele qvadam, qvæ in prædio Arcis Regiæ Fridericiburgenſis ſuos fœtus evomuit, ſummâ adſtantiū admiratione qvi ſanctè affirmarunt, felem nihil prius devoraſſe, nec alia via rejeciſſe. In inteſtinis ova concipi & exinde excludi, extra dubium eſt, ſiqvidem vera ſunt, qvæ de ovis galli multorum experientiâ & fide referuntur. Ego propius ad uteri devolvor regionem, in cujus vicinia fœtus Muſſipontanus inventus. Extra hunc uterum aliàs, ſed vicino loco, nempe in Vaſis ſpermaticis juxta fundum molam genitam

vidit *Marqvardus* in Empir. Pract. In Tuba uteri, cujus eadem ferè cum utero ſubſtantia, concipitur fœtus. Qvatuor exempla recitat *Riolanus* l. 2. Anthrop. cap. 35. fœtuum ex tubis uteri exſectorum, digna qvæ pro fœtu Musſipontano adducantur tanqvam verisſima, tot Medicorum & Chirurgorum Gallorum teſtimoniis probata, de qvibus neminem dubitare vult *Riolanus* Veteranus Anatomicus, & tardæ aliàs fidei. Semen autem virile exiſtimat per anfractuoſos vaſorum ductus tubam intraſſe. *Veſalio* l. 5. Fabric. Hum. cap. 15. tenuior eſt uteri tunica qva in cornua ſua deſinit. Certè in tubis uteri ſemen maſculum qvotidiè recipi vero mihi ſit ſimile, ibiqve præparari, unde fit, ut primo menſe in utero, ex obſervatione *Harvei*, nihil compareat, qvum revera ad conceptionem concurrat, nec prorſus ſtatim evaneſcat in auras, ſed ad tempus ibi deliteſcat, ut cum femineo miſceatur uniaturqve. Hinc qvando regreſſus denegatur qvacnnqve obſtructionis cauſa, in Tubis hiſce mole dilatatis fit conceptus, ſed qvia in tantam capacitatem ampliari non poſſunt ſua natura teretes & anguſtæ, niſi rarò naturæ robore, qvod de hydropica narrat *Tulpius* l. 4. Obſ. cap. 44. vel exiles fœtus generantur & imper-

imperfecti, vel incredibilibus doloribus ex membranarum diſtenſione matri mors infertur, vel ſi mater ferendo eſt, ruptis cornuum tunicis ampliorem locum in cavitate abdominis fœtus eligunt. Habes, mi Horsti, meam conjecturam, ut conſtet qvomodo fœtus ille inter peritonæum & inteſtina pervenerit. Qvanqvam enim ſemini maſculo ille inſit fervor, ut vaporum ſpecie ſpiritus qvocunqve feratur; tamen qvia nulla tum foret ratio cur non in capite qvoqve & corde verus fieret conceptus, malo manifeſtis viis & certâ conjecturâ probatis inſiſtere. Credo igitur ex ſemine conceptum fuiſſe in Tuba Uteri fœtum Musſipontanum, eumqve grandiorem perrupiſſe canalem anguſtum & in proximam abdominis cavitatem projectum. Ut id firmius concedamus, uterus intercedit, qvi prorſus dicitur intactus ſine ullo cicatricis veſtigio. At ruptura tubæ adverti forſan potuiſſet, ſi eo disſectoris curioſitas deſcendiſſet vel certè cicatricis manifeſtum veſtigium. Molitur ſubinde alium huicqve haud abſimilem ex utero exitum Natura, ut mirum nullum ſit, ſi ex anguſtis Tubarum carceribus ſe extricare conetur fœtus. *Hildanus* Cent. 1. Obſ. 64. diſſecuit aurificis uxorem, in qva matrix, erumpente infante

lacerata, ejusqve caput in lævam ventris capacitatem demiſſum. Ex hac uteri mixtura fœtum nunc caput, nunc pedes manusve, qva data via eſt, in abdomen exſerere, nunc toto corpore maternis inteſtinis incumbere, concedit *Veslingius* Synt. Anat. cap. 7. Interdum foras per apoſtema prorumpunt oſſeæ particulæ, ex umbilico, qvod vidit *Albucaſis* l. 2. Chir. cap. 76. *Marcellus Donatus* l. 4. Hiſt. Med. Mir. cap. 22. ex ano, teſte *Marſilio Cognato* l. 4. Var. Obſerv. cap. 9. *Jo. Langio*, Lib. 2. Epiſt. Med. 39. Itaqve qvum ex tubis evaſiſſet fœtus Musſipontanus, ſuo adhuc involucro tutus & tectus, ad proximam inteſtinorum regionem alligatus eſt ea vi qva atheromata, ſteatomata &c. partibus ſæpe affiguntur. Majus v. miſera Mater pondus ſenſiſſet, ſi ad juſtum incrementum perveniſſet, jam enim magnis doloribus vel per apoſtema viam ſibi præparaſſet, vel cum matre fuiſſet ſuffocatus. At v. ſive nutrimenti defectu ſufficientis per lactearum inopiam & obſtructionem, ſive loci penuria compreſſus ad magnitudinem conſuetam debitamq; non pervenit. Qvod putredinem evaſerit, ſalinis ſpiritibus imputandum, qvibus induruit & ſiccato corpore incorruptum perſtiit. Nolo cauſas petrificationis retexere, qvas

dato

dato ſtudio pertexuerunt qvi in Lithopædio deſcribendo deſudarunt, laudati nobis Cent. 2. Hiſt. 100. Nec opus noctuas Athenas, aut apud Te de his prolixius nugari. Calcuols non tantum in qvavis corporis parte generari plures demonſtrarunt, inprimis *M. Donatus* l. 4. cap. 30. & plures tales vidimus, etiam ex corde Cervi Norwegici extractus nuper lapis ponderoſior in Muſæo Auguſti Regis noſtri ſuſpenditur: Sed qvod mirabilius ipſæ partes in Saxum converſæ leguntur, nonnunqvam tota compages. De his albi actum. Unum præterrire non poſſum, de qvo ſententiam tuam ex qviro. Nuperis annis ex Suecia nobis relatum fuit, bovis cerebrum univerſum in lapidem mutatum eſſe, qvod illo mactato demum deprehenſum, qvum antea prono ſemper & inclinato capite in paſcuis vix oſſibus hærens ægrè progrederetur. Dubitavi ex inde, qva via ſpiritibus patuerit commeatus. At nuper qvum ex obſeſſa urbe noſtra benevolè in caſtra Suecica eſſem invitatus ab Illuſtriſſimis Legatis & Senatoribus Dn. Sciringo Roſenhan & Dn. Stenone Bieliche magnis Literatorum fautoribus, comperi à laudatis Viris rem, prout narrata fuerat, veram eſſe, ſervariq; adhuc cranium cum incluſo cerebro lapideo in prædio qvo-

dam Oxenſtierniano, ad ſpirituum verò liberum tranſitum relicta videri hinc inde foraminula excavata, qvæ per ſtramen immiſſos liqvores & flatus transmittant, utqve magis & crederem qvæ dicebantur à fide digniſſimis, & diligentius in inuſitatæ rei cauſam inqvirerem, promiſit mihi Illuſtris Bielchius vel iconem accuratam vel particulam cerebri ſaxei: Ubi promiſſis ſteterit magnus Heros, faciam ut & Tu hujus beneficii fias particeps. Interea hæc apud Te rumina, Vir Eruditiſſime, & Epiſtolæ præter ſpem prolixæ ignoſce. Currenti calamo, etiam maximè occupato, ſemper aliqvid offertur, ut vix ſiſti poſſit aut retardari. Facit naturæ fœcunditas, & Tui amor, ut ad lancem verba non expendantur. De re in ſolita qvid dici poſſit, qvidqve mihi videatur, Tibi roganti amicè & candide expoſui, cui plura debere velim. Et niſi jam aliis negotiis avocarer, pluribus teſtarer, qvanto obſeqvio & officio Tibi amiciſſimo ſim obſtrictus. Vale, Vir Magne, & in Literariæ Reip. commodum & ſplendorem diu vive, noſtri memor, & ſi tempora tua permiſerint, ſpicilegium ſecundum vaſorum noſtrorum Lymphaticorum qvod mitto

veloci

veloci oculo tuo ſed benevolo percurre. Scripſi neceſſaria celeritate. Hafniæ, 2. Nov. 1660.

Impreſſ. Darmſt. in 4. & Hafniæ in 8.

EPIST. IX.

Dubia de Uteri vaſis, valvula coronariæ, & Lymphaticorum inventione. Penis cancroſi curatio.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam,
GEORGIUS SEGERUS
Thorunenſis

CErtè nihil gratius nuper mihi offerre potuiſſent Amici, exceptis literis Tuis; Hæ n. mirum in modum me affecerũt. Incluſas unà cum ſpicilegio ſecundo mox tradidi Magno Noſtro Æſculapio, Dn. Jo. Caſp. Bauhino, qvi ut Tuas legit, ſimulq; nomen ſuum operi præfixum vidit, gratam reſponſionem brevi pollicitus eſt. Sic qvoq; juſſu Tuo Cl. Wepferum, & ſalutavi, & ut ſuis ſtet promiſſis monui. Nullum tamen adhuc reſponſum à Viro Cl. obtinui. Scio eum uberrimâ Praxi Medicâ, qvam tam intra qvam extra Remp. Schaffhuſianam exercet, mirum defatigari. Cui accedit editio

editio nonnullarum Hiſtoriarum Medicarum, ſi vera ſunt, qvæ Bibliopola noſter mihi retulit. Obſervationes ejus & Exercitationes de Apoplexia, proximis nundinis Francofurtenſibus per Bibliopolas (niſi interea alia ſe offerat occaſiô) transmittam. Ejus namq; Exemplum jam ante annum ab ipſo Autore pro Te obtinui, nec tamen ob turbas bellicas commodè mittere potui, cum incertus etiam eſſem an Hafniæ moreris. Cæterum Diſſertationem meam de Nutr. Fœtus Hum. in utero Tibi, Vir ſumme, traditameſſe, mihi gratulor, vereor ne conciliatio qvam in ea inter Hipp. & novas obſervationes inſtitui, ſit ad palatum. Sed ſufficit mihi tentaſſe. Ego interim Tuum, Præceptor Candidiſſime, candidum judicium magno cum deſiderio exſpecto. Sed & ſpicilegium Tuum ſecundum, & ſi qvid hactenus à Te prodiit, qvod ſcire mea intereſſe putas, unâ cum Oratione in Obitum Cl. Fuirenii, efflagito. Qvæ cuncta commodè futuris nundinis mihi transferre poterit Veſter Hauboldus, imprimis cum adhuc per integrum annum hic (ſi Deo ita placuerit) vivere decreverim. Interim nullus dubito, qvin Memoriam meam Brunnianam cum aliis uni faſciculo incluſis Tibi ob tulerit dictus Hauboldus. Sed redeo

ad

ad Diſſert. meam de Nutr. Fœtus. In ea concinnanda cum occupatus eſſem, non parum ſanè me torſit contradictio qvædam, qvæ mihi videtur eſſe in Tua Anat. Reform. & qvidem Lib. 1. cap. 28. ubi inter alia dum de vaſis uteri agis, ita pag. 165. ſcribis: *Venæ & Arteriæ ſe invicem comitantes, feruntur inter uteri tunicas, inq; tubulos illos membranaceos uteri ſangvinem ſuum effundunt, non* (NB.) *in intimam usq; uteri cavitatem deferuntur.* Aſt poſtea p. 166. expreſſè vaſorum ſeu tubulorum potius oſcula cavitatem fundi ſubire ſcribis. Ego in dicta diſſert. poſteriorem retinui ſententiam ut patet Sect. poſt. cap. 2. §. 6. cum eam doctrinæ Tuæ conformem ſciam. Interea tamen qvomodo cum priori conciliari poſſit, ut paucis me doceas, obnixè rogo. Qvæ v. eſt illa Valvula Nova & nobilis, in trunco adſcendente venæ cavæ, juxta venæ Coronariæ exortum, inventa; Cujus mentionem & Tu qvoq; feceſti in ſpic. ſecundo c. 3. p. 17? Nonne eadem eſt cum illa, qvam etiam ad Coronariæ ortum poſitam, reditũ ſangvinis in truncum admittere ſcribis in Anat. Ref, Libel. 1. c. 5. p. 427? Si eadem, cur nova? Cæterum non ſine admiratione legi, qvæ de prima Tua inventione nuper qvoq; movit Charleton in œcon. Anim.

Anim. certè non video qvomodo omnes illi qvi pro Jolovio pugnant ſubſiſtere poſſint, cum & relatio eorum planè ſit diverſa Gliſſonius in Anat. Hep. c. 31. p. 266. ſe indicio Jolovii in vaſorum aqvoſorum notitiam anno 1652. ſub initium Junii demum veniſſe ſcribit: Qvod & Charleton Exerc. 9. art. 2. confirmat. Verum Whartonus Adenogr. c. 15. p. 98. Jolovium circa A. 1650. eadem illa vaſa inveniſſe notat. Hem qvam egregiè conveniunt. Neq; v. etiam concoqvere poſſum, qvod Charleton ſcribit, Te eo tempore, qvo Jolovius Gliſſonio vaſa dicta demonſtravit, nimirum ſub initium Junii 1652. de illis vaſis ne cogitaſſe qvidem. Aliud teſtatur c. 2. Vaſorum Lymph. in brutis, & nos, qvibus jam Menſe Martio hæc vaſa magno noſtro cum applauſu demonſtraſti. Qvo tempore nec Jolovium, nec Gliſſonium, nec Whartonum multò minus Charletonum de eis cogitaſſe pronunciare auſim. Sed ad alia. Præteriti anni die 10. Novembr. hic Baſileæ Chirurgus Schwarzius, Lithotomus & Oculiſta egregius, Civi cuidam & tubicini, annos jam 70. præter propter nato, membrum virile cancroſum plane & corruptum, feliciter præſente Cl. Platero circa radicem detruncavit, & cum ablatâ partè hæmorrhagia inſignis futuram

ram impediret, guttulâ unâ atq; alterâ olei glacialis antimonialis vaſis immiſſâ ſangvinem ſtitit, atq; brevi tempore ægrum reſtituit. Ego huic operationi, ob adverſam, qvâ premebar, valetudinem, intereſſe non potui, licet ipſe Chirurgus amicè me invitarit. Finitâ curatione bonus ille ſenex officio ſuo iterum ſungi cæpit, multisq; riſum commovit. Sed non diu duravit hæc felicitas. Nam ante menſem, & qvod excurrit, in ingvine dextro tumor cancroſus exortus, ſpatio brevi tantum nactus eſt incrementum, ut non tantum duorum pugnorũ magnitudinem jam excedat, ſed & apertus fæda ac fætida eructet, ſpesq; in ſola jam poſita ſit morte. Ego jam hoc exemplo qvoq; motus, non præter rem feciſſe Fabr. Hildanum credo, dumſimile exemplum in Cent. 3. obſerv. 88. proponens, cauſtica contra Celſum rejicit. Sed ſufficiant iſta hac vice. Tabellarius n. urget. Reſalutant Te Viri Celeberrimi Feſchius, Stupanus, Bauhinus & Platerus, meiq; Comites. Sed & Cl. Falcyſius ὁ μακαρίτης amicè Te reſalutat. Mirum ſanè in modum eum, lectulo jam lethali affixum, Tui mentio exhilaravit, amicitiamq; Tuam qvantum potuit deprædicavit. Obdormivit autem placidè die 23. hujus men-

menſis. At idem nos fatum manet. Vale Præceptor ac Patrone Colendiſſime, mihiqve fave. Dabam Baſileæ die 30. Oct. 1660.

EPIST. X.

Dubiorum ſolutio. De Pene ingenti.

GEORGIO SEGERO Baſileam.

QVod nunc primum ad Tuas 30. Oct. anni præteriti ſcriptas reſpondeam, ægrè non feres, ſi temporum noſtrorum rationes expenderis. Vivere Te & valere gaudeo, gratulorq; Baſilienſium favorem. Magno deſiderio Cl. *VVepferi* promiſſas obſervationes & Exercitationes expecto. Per Hauboldum noſtrum Tibi mitto Orationem in obitum Conſobrini D. *Fuirenij*, amici qvoq; dum vixit tui, cui adjungitur Catalogus ejusdem Bibliothecæ, qvam patriæ Academiæ legavit. Utrumq; vero in acceptum referes Conſobrino meo Thomæ Fuirenio. Spicilegia mea bina ex Vaſis Lymphaticis recuſa ſunt Amſtelodami, ſed necdum ipſe ea vidi, qvanqvam nomini meo inſcripſerit editor Cl. D. *Elaſius* Prof. Med. Amſtelodamenſis. Illis viſis Nobilis *Bilſius*, vel potius Medici qvidam Roterodamenſes, illius

illius adulatores, irritati ſunt, & per D. *Zaſium* Epiſtola Apologetica acerbius qvam decentius me aggreſſi ſunt; primo Belgicâ dialecto, mox latinâ ejusdem tenoris. E veſtigio remiſi reſponſum typis noſtris impreſſum, qvod hic vides. Alia opuſcula mea, qvæ nuper lucem viderunt, ut ex catalogo edito intelliges, mittere non poſſum, ne Hauboldo ſim moleſtus. Hiſtoriam de pene gangrænoſo à te miſſam releges *Cent.* 6. *hiſt.* 96. Dubium qvod moves ex binis Anatomiæ noſtræ Reformatæ locis, facilè ipſe ſolves, ſi ad verba attenderis, qvæ p. 166. ſtatim ſeqvuntur. Qvanqvam enim vaſa uterina ad fundi cavitatem pertingant, non hiant tamen, nec aperiuntur, niſi tempore vel menſtruorum vel impraegnationis, adeoq; eò pertingere non videtur, qvamdiu non reſerantur. De nova illa valvula nobili Dn. *Guiffarti*, rectè mones ad coronariæ ortum qvoq; nobis fuiſſe notatam *Lib.* 1. c. 5. p. 427. Affirmat tamen Iſ. *Cattierius* Obſ. Med. p. 71. in cadaverum ſectione Lutetiæ adminiſtrata, licet exactè & diligenter hæc valvula fuerit conqviſita, nullo modo fuiſſe repertam. De ductibus ſalivalibus auctis credo te inaudiviſſe, qvos ductus Stenonianos Cl. *van Horne* vocat, qvos bis nuper publicè Leidæ oſtendit. Inventi & ab eo-

 dem

dem *Stenonio* noſtro, Diſcipulo olim meo, de qvo mihi gratulor, privatis cum Cl. *Olao Borrichio*, Collega noſtro, ductus qvidam ab eodem Borrichio eruditiſſimo hygrophthalmici appellati. Et alia qvæ non vacat referre. Ita qvotidie ſe ſcrutatoribus Natura magis magisqve revelat. Ut verò pro hiſtoria tua penis gangrænoſi, ſimilem reddam, audi, ſi volupe, qvid hiſce diebus viderim. Qvum nuper pagum Selandiæ noſtræ Baarup tranſirem, iter meum remoratus eſt homo miſer ſtipem rogans, qvi hernia ſe laborare qverebatur. Propius accedere juſſus, horrendum ex caligis producit membrum, qvo Vir erat. Scrotum enim cum pene in unum corpus informe qvaſi coaluerat tam vaſtum, ut tres ſpithamas æqvet longitudine, unam craſſitie, ſpeciem maximæ cucurbitæ referens, venis tumidis variegatum. Ad latus foramen patet, per qvod lotium emittit, qvod umbilicum credidi qvum primum viderem: qvæ ſuſpicio evanuit viſo in ſuperiore parte umbilico vero. Qvoties lotium reddit, informe hoc peculium univerſum ex gremio ſuo prodire jubet, ne ſe commingat, qvod damno ejus factum, laceris caligis fidem faciebat. In infima parte tumoris varicoſi exulceratio comparet, qvam ſubinde curatam,

alio

alio loco erumpere aſſeverat, ut tandem à gangræna ipſi interitus immineat. Majorem colem nec in naſutis, nec Æthiopibus, nec Aſinis deniqve videre me unqvam memini. Revera tamen pro hernia varicoſa habui, qvam à primis pueritiæ annis pondus grande ſublatum videtur procuraſſe. Puerum qvinq; annorum ſimili hernia hic Hafniæ deformem, pro incurabili demiſi, nam in ſcroto omnia abdominis inteſtina videbantur concluſa, reliqo ventre, etiam poſt largum paſtum, flaccido. Memoriam tuam Brunnianam cum aliis in tuo faſciculo non accepi. Interim gtatias ago pro ſolito affectu, & rogo ut in amore pergas. Summum Bauhinum officiosè ſaluta, à qvo non ita pridem gratiſſimas & humanitatis plenas literas accepi. Me qvod ſpectat, qvia ſcio Te mihi favere, à curis Academicis jam ferior, à Ser. Rege meo, titulo & privilegio Honorarij Profeſſoris clementiſſimè decoratus. Nec tamen ceſſat calamus. Propediem prælum evadent Ciſta Medica & Centuriæ Epiſtolarum. Reducem habemus D. *Henr. à Möinichen*, dignum mehercules patriæ civem. Sed ad plures abiit Cl. Collega noſter Spormannus. Vidua beati Wormii in thorum ſuum adſcivit D. *Chriſtianum Fabricium*, Medicum urbis noſtræ præ-

clarum, tibi haud ignotum. Tu, mi Segere, vale diu noſtri memor, cum Nobiliſſ. tuis comitibus, qvos ſaluto cum reliqvis qvos meo nomine ſalutare ſoles, inprimis Cl. D. Bogdanum. Vale, Haſn. 9. Mart. 1661.

T.

Th. Bartholinus.

EPIST. XI.

De inſtrumento ad ventriculum eluendum.

THOMÆ BARTHOLINO Haſniam.

DIu jam eſt qvod nihil à te literarum acceperim, etſi bis terve ad te ex Anglia ſcripſerim. Id negotiorum, qvæ te qvotidie publicæ utilitati intentum circumſiſtunt, pondere moleq;, non aliqvâ oblivione noſtri, factum volo credere. Certè iſthuc perſvadere mihi malo, & vel palpum mihi ipſe hoc pacto obtrudere, qvàm cruciare animum acerbâ hac triſtiq; ſuſpicione, Te in eorum me retuliſſe amicorum album qvorum, cùm non videmus, ſolemus obliviſci. Miſi ad te ex Anglia,

inter

inter alias qvas ſimul eidem epiſtolæ illinebam nugas, etiam delineationem inſtrumenti cujusdam, Provendor ni fallor vocant Angli, ad exonerandum purgandumq; ſtomachum ab Eqvite qvodam Anglo nuper inventi. Eam an acceperis neſcio. Sed tanti non eſt. Bacillus eſt oblongus ex pinna balenæ factus; illum poſt paſtum liberalius ſumptum ventriculo per gulam immittit & ſurſum deorſum; horſum vorſum agitando verſandoq; qvomodo bombardarũ fiſtulas ſolemus purgare, aliqvandiu vibratum extrahit, vomitq; ut Æſopus poſt tepidam. Haagenſonio id narravi; is qvâ eſt circa omnia qvæ ingenuo & liberali homine digna ſunt, curioſitate ac ſtudio, ſine dubio aliqvod horum emet, libellumq; ſimul hac de re ſcriptum, qvandoqvidem per Angliam molitur in patriam reditum. Sed pol tu qvidem luculento nimis me ornaſti præmio ob ſimiles gerras & folia farferi, tam honorificâ mei factâ mentione in tuis Centuriis. Id ego reſcivi primum in Angliâ, paullo ante diſceſſum ex inſula. Armiger qvidam Anglus homo doctus & apprime eruditus, cohortis alioqvin eqveſtris ſub Cromwellio Præfectus, & librum mihi tuum & loca iſta monſtravit, dum ponderum menſurarum nummorumqve noſtrorum, qvæ ali-

qvoties ipſi inter legendum remoram injecerant, rationem à me ſciſcitatur, & ad Angliæ calculum me dictante & explicante revocat. Erubui hercle cum vidi; ſed tamen, fatendum enim eſt, neſcio qvis taciti gaudii ſenſus præcordia mihi percurrebat, ſvavi immortalitatis nomine permulſa, qvam tuo beneficio me eſſe conſecutum, & tuis iſtis æternitati dudum conſecratis voluminibus inſcriptum gaudebam. Vale, vir Clariſſime, & ita immortalitati ſtude, ut ſimul inter mortales diu poſſis degere, qvod opto & ſpero. Vale Lut. Paris. 1. Novembr. A. 1660.

T.

P. Schumacherus.

EPIST. XII.

De eodem inſtrumento, & aliis.

PETRO SCHUMACHERO Lutetiam.

CAve credas me inter eos eſſe qvi amicos cum Lunæ phaſi mutant, aut abſentium oblivione laborant. Indignus eſſem tuâ amicitiâ, qva nihil mihi jucundius, niſi paria tecum in amore facerem. Cæterum totiens hactenus non licuit per literas tibi affectum teſtari, qvem dudum debui ob temporum difficultatem,

tatem, qva obruti fuimus. Nunqvam tamen tui memoriam depoſui, qvod mecum amici teſtabuntur, & hac manu jam fidem facio. Ex Anglia non niſi ſolas literas à Te accepi, qvum in obſeſſam urbem eſſem reverſus. Doleo alias periiſſe, inprimis qvæ delineationem inſtrumenti ad expurgandum ventriculum continebant. Vidi apud D. *Möinichenum* reducem ex pinna balænæ confectum inſtrumentum, ſed diſplicet qvod ſerius id mihi innotuerit, qvia ea de re egeram in Centuria qvinta, qvæ prælum evaſerat anteqvam hæc viderim. Multum interim Tibi debeo, qvod memor ſis mei. Haagenſonius ſalvus ad nos rediit, tuasq; mihi tradidit, ſed librum in Anglia editum de iſto inſtrumento apud eum non vidi. Non eſt qvod tantâ gratiarum actione excipias candorem meum, qvi cum laude publica Tibi tua reſtituam in Centuriis. Qvanti te faciam, etiam plures ſcire volui. Invenies etiam in qvinta & ſexta Centuriâ, qvæ jam publicam lucem meruerunt, nomen tuum, laudes tuas, obſervationes tuas mihi amicè communicatas. Et in Centuriis Epiſtolarum Medicinalium utramq; paginam facies, qvia releges ibi tuas ad me datas literas, qvæ ſemper rara eruditione abundant. Anteqvam verò ad umbilicum priores duas

Centurias Epiſtolarum Typographus perduxerit, rogandus eſt per Te Vir Nobiliſſ. & Celeberrimus D. *Jacobus Mentelius*, ut qvam de Vaſis Lymphaticis Epiſtolam mihi deſtinavit, (ſicut non ita pridem ad fratrem D. *Erasmum Bartholinum* ſcripſit) amicè prima data occaſione mittat, nec dum enim ad manus meas pervenit, & nollem tanti Viri vel tantillum perire. Commode inſeram Centuriis brevi edendis. Mitto Catalogum Operum meorum, ſi qvidem Tu meas nugas aliqvid eſſe ſoles putare. Meo qvæſo nomine Cl. D. *Guidonem Patinum* ſaluta. Habeo illi deſtinatum faſciculum librorum hic editorum ſatis magnum, qvi commodum nautam præſtolatur. Interim & Tu & ille amicè monebitis, qvid gallica ingenia fœcunda parturiant in Re Medica. Tibi verò, mi Schumachere, felix novi anni exordium precor, deniqve ut omnia ex animi ſententia fluant. Conſobrinum meum Finchium amicè ſaluto, & utrumq; benè valere jubeo. Hafn. Raptim. Cal. Jan. cIↃ IↃC LXI.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPIST.

EPIST. XIII.

Veteris amicitiæ commemoratio.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

MAjorum Tuorum, ab Avo, per Parentem, Teq; ipſum in Patrem meum & me, conſtantis benevolentiæ & amicitiæ documenta, qvæ penes me velut cariſſima aſſervantur cimelia, ſemper maximi feci. Qvantaq; animo inde meo ſurgat hæreatq; lætitia, ubicunq; ſe obtulit occaſio, palam ſum teſtatus; ac publicè privatimq; præ me tuli. Fidem facient inter alios complures Bogdanus & Segerus noſtri. Tales eos jure mihi videor appellare, noſtros nempe. Tuos, qvoniam ab inſtitutione, beneficiis & meritis tales haberi & vocari libenter volunt. Meos qvod à te acceptos, favente Numine, ſupremis in arte noſtra inſignire honoribus, optimo contigit fato. Hi, inqvam, fidi ſunt teſtes, inter cæteros, non ſine honoris præfatione, in publica panegyri, celeberrimi nominis Tui meritorum non fuiſſe me immemorem. Utinam verò digne in paternæ & avitæ & propriæ amicitiæ memoriam præſtare aliqvid mihi obtigiſſet. Sed tam prona in me voluntate jam pridem veluti obrutum, majore adhuc honoris cumulo augere cum Tibi placet, dum nominis mei inſcriptione, ſpi-

cilegium ſecundum Tuum, mihi dono mittis, planè ſilentium imperas. Unum qvod mihi ſupereſt, hiſce profiteor, tum hujus, tum aliorum benevolentiæ Tuæ in me argumentorum nomine, gratias me agere maximas, ſemperq; manſurum in ære Tuo. Perge porrò famam extendere factis; ad qvod virtutis opus, DEus & ſanitatem & qvodvis proſperitatis genus, ut Tibi indulgeat, ſinceris & ardentibus precibus voveo! Vale & ſalve cum omnibus Tuis, mei meorumq; perpetuo memor. Baſilea IV. Idus Xbr. CIϽ IϽC LX.

Tuus ex animo

J. C. Bauhinus.

EPIST. XIV.

Uteri conſenſus cum capite.

JOH. CASP. BAUHINO Baſileam.

MAgni & à parentibus propagati affectus documenta illuſtria, grata mente excipio. Nimium mihi jam blandiri videor, qvod in amicitiæ paternæ participationem olim admiſſum, conſtanter adhuc tuearis, laudesqve impenſius animum, qvi Tibi tuisq; meritis eſt addictiſſimus, & in perpetuum erit devinctus.

Ex

Ex laude qvam concedis, magni amoris indicium capio. Enim ſic naturâ comparatum eſt, ut eum qvem laudes, etiam ames, etiam laudari Te ab illo velis. Atq; hinc ego, ut ex Floridis *Apulei* loqvar, me dilectorem tuum profiteor: Multa tibi privatim, ſed omni publicitus gratia obſtrictus. Plura pro me non loqvar, qvia qvantum loqvi debeam, non ignoro, ſi verbis affectum metiri velles. Dumq; familiæ utriusq; antiqvum conſenſum meditor, plena penna deprædicandum, àvocor ad alium affectum amicæ curandum qvem narrare lubet, ut judicii Tui maturitate, qvam abſens veneror, opera mea ſublevetur. Notus eſt uteri cum cerebro conſenſus, nervorum beneficio, qvem dolor capitis in prægnantibus ſæpe prodit. Vertici inprimis uterus videtur reſpondere. Expertus eſt *Joh. Langius* Epiſt. 49. plus centies, in hyſtericarum & qvavis uteri affectione, verticem capitis, prope ſuturam coronalem, qva glaciei frigus & pondus ſe ſentire fatentur, utero affecto, lege qvadam conſortii condolere. Conſenſus hujus exemplum domeſticum jam habeo. Soror enim mea unica chariſſima non rarò in oſſis ſincipitis ſiniſtra regione prope tempora locum mihi monſtravit dolentem & frigidum,

qvi

qvi tam anguſtis terminis circumſcribitur ut thalerum Imperialem vix capiat, eoq; frigore perſeverante immunis à dolore non eſt, unde huic loco orbiculari emplaſtrum ex Tacamahaca & ſuccino, me ſvaſore, imponit, calidisqve culcitris fovet caput, internè verò pilulis cephalicis & uterinis affectui ſe opponit, nam & uterum ego hujus mali fomitem pronunciavi. Unde verò hujus partis cerebri propior cum utero conſpiratio oriatur, ſatis divinare neqveo. Qvanto enim diutius in hoc ſtudio verſor, tanto me fateor ſcire minus. *Hippocrates* qvidem l. 1. Prædict. §. 119. à ſtrangulatione uteri convulſiones imminere prodidit, & 5. Aph. 35. ſternutationem ſuffocationi ſuccedere. Ubi communis cauſa, ſeu flatus ſeu vapor acris conſenſum monſtrare poteſt, neutiqvam locum determinatum. Dubius hærebo, donec dubium ſolveris qvi artis noſtræ ſecretorumq; ejus fidelis es interpres, magnoqve amicitiæ conſenſu nihil nobis, diſcendi avidis, denegare ſoles. Sic

Ante deſcendet glacialis Urſæ
Sidus, & Ponto vetito fruetur,
Qvam tuas laudes calami qvieſcant.

Deus tantum amicum familiæ noſtræ & Reipublicæ Medicæ diu ſervet. Vale, Vir incom-

comparabilis, & me, more tuo, amare perge. Haſniæ Cal. Febr. cIↄ Iↄc LXI.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPIST. XV.

In ſtibium invectiva.

THOMÆ BARTHOLINO Haſniam.

HEri me convenit popularis qvidam tuus, nobilis Danus, Dn. *Petrus Schomaker*, cum qvo jucundiſſimum habui de Te colloqvium. Valde lætor qvod mei memineris, & faſciculum operum tuorum mihi adornaris, qvem patienter expectabo. Oſtendit ille mihi qvendam indicem tuorum operum, qvem ſpero mihi non denegabis. Pauca ſunt hic nova præter mortem *Card. Mazarini*, qvem medicaſtri, ſaluberrimæ Artis admodum ignari & toti, ut ipſi nugantur in ſecretis Chymicis repoſiti, turpiter necarunt ac diti tradiderunt, cum ſuis granis narcoticis opiatis; & ſuo vino emetico venenatiſſimo. Secreta profitentur iſti, qvi primum, præcipuum, ac penè unicum Artis noſtræ ſecretum non tenent; nempe veram

ram ac legitimam bene medendi methodum, qvæ eſt Secretû ſecretorum ſecretiſſimum, ſed paucis notum. Hic habemus eruditum qvêdam Collegam, qvi ſeſe accingit ad editionem duorû librorum, qvorum unus erit de Pleuritide eritqve inſtar Methodi medendi generalis: Alter erit de Vomitu, ſtibiiq; veneno. Utrumq; facilè habebis, poſtqvam editus fuerit. Mittam Tibi etiam faſciculum ex iis conflatum qvæ hic proſtant, Libellis nimirum ac Theſibus Scholæ noſtræ, cum ſolenni qvodam ſenatus conſulto, à nobis ante annum impetrato, adverſus ſuperbum ac ſuperciliosum qvoddam hominum genus, nempe tonſores & Chirurgos togatos & manicatos. Cariſſimos fratres omnes ſaluto, & ex iis ſingulis præſertim Eraſmum. Vale, meq; qvod facis, amare perge. Pariſiis, die Mercurij 9. Martij M DC.LXI.

Tuus ex animo

Guido Patin, Doct. Paris. & Prof. Reg.

EPIST. XVI.

De ſtibio nonnulla.

GUIDONI PATINO Lutetiam.

STibii venenum juſtis de cauſis deteſtaris, tecumq; ſaluberrima Facultas Pariſienſis. At

At ſi rite ſit præparatum minus noxium profitentur qvi circa cineres occupantur. Plenis buccis ab his laudatur, & experientias clamant. Qvam litem meam uon faciam. Nunqvam adhuc auſus fui iſtud remedij genus ægris meis commendare, qvia veſtigia me terrent. Qvanqvam in contumacibus morbis ſalutarem ejus uſum viderim. Malo qvippe nodo malus cuneus qværendus. Ipſe cum aliqvando Neapoli decumberem, ſuaſu *Severini*, ab hepate Antimonii qværebam auxilium, ſed ferè Pleuritidem mihi advocaſſem. Conſobrino verò meo, feliciter ſucceſſit vinum ſtibiatum, ſtatimq; expurgato ventriculo convaleſcenti. Itaq; & morbi diſcrimen & naturæ conſiderandum. Subinde neceſſitas ad vehementia nos animat remedia, qvando mitiora nihil proficiunt. Certè helleborus *Hippocrati* noſtro adeò familiaris, ſuos qvoq; patitur manes, ut alia taceam. Ego tamen, ut ſeriò tecum loqvar, malim fortiter ægrotare, qvam ex ſtibio nauſeare. Tutam enim in medicina viam amo, ne defametur Ars ſaluberrima, & ægri incertæ aleæ exponantur. Promiſſum faſciculum qvam primum mittam. Vale. Hafniæ XX. Apr. CIↃ IↃC LXI.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPIST. XVII.

De fluxu uterino & Terra Norwegica.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam,

SIc tandem, Hafniâ relictâ, cum Cancellario Regni Norwagiæ Dno. Ovidio Bielcke per Scaniam, Sveciæ partem, & Norwagiam ad meos deveni Lares. Iter itaq; (Deo ſic volente) à nobis abſolutum planè injucundum. Mæſtos interdum incedebamus locos, viſuq; ac memoriâ ſatis deformes: Plurimæ noctes imbribus fœdæ, & exeunte menſe illunes, intercipiebant tam oculorum, qvàm aurium uſum; ut cælum taceam rigore omninò horridum. Sic Norwagis ſemper

Frigore conſuetis favet inclementia cœli.

Ad ea jam tranſeo, qvæ hoc in itinere in re Medica obſervaverim, adnotaverimq; rariora, Tecum inter Medicos curioſiſſimo communicanda. Schenckius qvidem libr. 4. Obſ. 176. & ſeq. Marcellus Donat. in Hiſt. ſua medic. mirab. libr. 4. c. 22. aliiq; qvam plurimi hiſtorias ſimiles curiosâ conſcripſère manu, ut ſupervacaneus hic meus videatur labor & hiſtoriarum communicatio. Sed cur vetera extollamus, recentium incurioſi? In Regia civitate

Chri-

Chriſtiania noſtros apud Norwagos, hoſpitium monſtrabatur mihi ab Amico in ædibus viduæ Friderici Zimmermanni p. m. Oenopolæ, dum viveret, ibidem. Anteqvam ad cœnam veniſſemus hoſpites ſinguli, me vocat illa lecto affixa, & inſignibus cruciatibus detenta undiq; horum cauſas, & qvæ acciderit in proprio corpore hiſtoria admiratione haud carens, enarrat ordine. Annum ſci. cùm complevìſſet ætatis ſuæ incrementum percipit totius corporis inferioris, nullo tamen cum dolore aut ſuæ valetudinis in commodo conjunctum. De gravidate neqve cogitabat ſemel, nec loqvi audebat, ne ob prævalidam ætatem riſui ſe ſe exponeret civium; molam tamen intrò latitare, credebat ſemel vel iterum, mox aliæ in animum incurrebant cogitationes, de gravidate adhuc nullæ. Interea cùm animaretur fætus in utero, cùm tenerrimum corpus, & adhuc anima ſui ignara in alvo materna inſtruebatur ad vivendi patientiam, maritus febre maligna occumbit, terræ mandatur: Eo ipſo die eodem morbi genere & filia proſternitur, moritur & illa. Hinc duplicato propter domeſtica mala dolore, dies noctesq; lacrymis & conclamationibus tranſigebat, vi-

tamq; ægritudine animi finire firmiter ſecum concluſerat, ut tandem qvoq; febre peſtifera prehenderetur lethaliter. Febris poſt dies aliqvot remittit, dolores interim parturientium patiẽs percipit ſimiles, & poſt atrociſſimos cruciatus putris fætidiſſimaq; ex utero profluere incipit materia, mox fluxus ceſſat & intermittit. Abeunt ſeptimanæ aliqvot, in qvibus vivebat mediocriter, jamq; corpus ſatis eſſe expurgatum putabat. Sed ecce! poſt trium ſeptimanarum ſpatium, dolores redeunt adhuc ſæviores, mortemq; jam jam inſtare putabat patiens unà cum adſtantibus. Verùm ſicuti canit Poëta

Parturiunt montes naſcetur ridiculus mus.

Ita, inter labores intenſiſſimos, ulna, ſeu cubiti os inferius fœtus demortui procedit, nusqvam corruptum, & nihil amplius. Ab illo tempore dolores interdum revertebantur, remittebant interdum penitùs, receduntq; & reveniunt adhuc hoc ipſo die, ſentitq; illa oſſium diverſorum motionem diverſamcum animi deliqviis, variisq; ſymtomatum gravitatibus. Doctiſſimus Dominus M. Rhodius Profeſſor Matth. & Medicus ibidem, incertus qvid ageret, me in conſilium vocabat ante lectum ægrotantis coràm ſedens: conqværebatur autem

tem ille de validiſſima clauſura uteri. Ego Inſtrumenti Glauberiani (cùm aliorum detrectaret) ſvadebam adplicationem, qvod Autor prædictus habet in libr. ſuo Furn. Philoſoph. part. 2. c. 88. ut, ſi qvid reſtaret in utero putredinis, cum oſſibus exiret. Qvemadmodum inſtrumenti iſtius uſus inſignes & felices ſatis in clauſura uteri menſiumq; obſtructione pertinaciſſima vidi ſtudioſus adhuc in Academia Lipſienſi; juſſiq; inſuper, ut medicamentis internis ex myrrha & aliis paratis ulteriori reſiſterent putredinis irruptioni &c. Exitum hujus hiſtoriæ expectamus adhuc cum deſiderio.

Alteram nunc addo hiſtoriam. Juvenis Ruſticus 19. annor. non procul ab hinc ingenti ſubitò corripitur horrore, mox calor ſubſeqvitur præternaturalis cum dolore capitis acerbo: paucis diebus elapſis pòſt, ex aure dextra materia profluit purulenta ſatis copiosè, mox cum pure exit eadem ex aure dens, qvem Exc. Tæ. hîc mitto, Juvenis ille nullo tum temporis carebat dente, eosq; adhuc habet omnes & ſingulos. Amiſit hujus dentis particulam Rev. Dns. Janus Buggæus paſtor in Sogn, qvi hunc non ſolùm mihi dedit dentem, ſed & juvenem monſtravit.

Mitto terram, qvam nuper Tibi, cùm

Haſniæ eſſem, promiſeram, ex communicatione Viri Nob. Dn. D. Gabrielis Griesley Reginæ in Portugalia Archiatri, reperiturq; illa 2. milliar. ſpatio à Lisbona. Mira adſpice naturæ ludibria, & mirare!

Terram inveni in itinere noſtro propè Bergas, cujus particulam hiſce adjunxi literis: Neſcio an hæc ſit illa, cujus Petræius fecerit mentionem in Noſologia ſua. Verùm vix pro medicina & hanc habeo, qvamvis non tam ſabuloſa, qvàm aliæ, qvæ antehac & Nob. Wormio p. m. & Tibi fuêre transmiſſæ, & mihi: potiùs colorem æmulatur Pictorum, & Ochræ ſpeciem repræſentat, cùm etiam hypocauſtum hâc terrâ cruſtatum viderim non procul ab hinc.

Hiſce vale, & ſi occupationes Tuæ horam concedunt, reſcribe.

Bergis d. 11. Mart. 1661.

T. T.

Joh. Fridericus Treublerus D.

EPIST.

EPIST. XIIX.

Naturæ in expellendo fœtu, & curandis vulneribus ſolertia.

Joh. Frid. Treublero Bergas.

Difficile iter Te ſuperaſſe gaudeo, tuisqve feliciter eſſe redditum. Caſus in itinere obſervati oppidò rari ſunt. Primum qvod ſpectat mulieris magnis cruciatibus ulnam fœtus haud corruptam ex utero excernentis, & aliorum oſſium motum ſentientis, non diſſimile ſemel iterumq; obſervaſſe me memini. Nuper qvoq; variæ fœtus particulæ oſſeæ variis viis, ex umbilico, ingvine, uteri vagina, interruptis vicibus ex muliere doloribus fatigata prodiere, & etiam nunc ſtatis temporibus reliqviæ excernuntur. Sine inſtrumentorum variorum apparatu, qvem feminæ noſtræ averſantur, natura ſenſim expellit in utero contenta ſibiq; adverſa, qvemadmodum in ſecundinis, fœtuq; mortuo non ſemel obſervavimus. Tamq; hujus rei ſollicita eſſe ſolet natura, ut ſi per naturalem viam denegetur exitus, vicinas eligat qvaſcunq; viq; viam faciat. De mulieris umbilico & ingvine jam dixi, qvam hiſtoriam alibi dato ſtudio exponam. Narravit mihi obſtetrix noſtra Eliſabetha ad-

fuiſſe ſe puerperæ Hafnienſi, qvæ fruſtra in partu laborans, ſpe enitendi fœtum mortuum fruſtrabatur. Tandem tamen favente Lucina, ruptum ingven ſiniſtrum partem fœtus oſſeam excluſiſſe, reliqvis particulis ordinaria viâ ſenſim prodeuntibus. Hanc Naturæ providam curam in expulſione fœtus per apoſtemata uteri, vel umbilici, exemplis prædicant *Albucaſes* Arabs l. 2. c. 76. & poſtea *Alexander Benedictus* l. 25. c. 33 ut taceam recentiora exempla ab *Hildano* Reſp. ad Doringium, & *Roſſeto* l. de Part. Cæſ. annotata. Unde de felici exitu in muliere à Te nominata dubitare non poſſum, qvanqvam tardior futura ſit expulſio reliqvarum particularum fœtus, nec ſine repetitis cruciatibus, qvos natura in valido conatu rerum qvidem alienarum, ſed qvibus jam uterus aſſuevit, expellendarum neceſſariò inducit. Ejusdem naturæ eſt beneficium, qvod per abſceſſum auris purulentum, dens intus latens & à magnitudine reliqvorum alveolo ſuo excluſus, tanqvam ſuperflua oris pars, projectus ſit. Natura enim optimi œconomi vices ſupplet, expellens vel ſuperflua vel inutilia, & de cæteris prudenter providens ſibi ſuisq;. Inprimis iſtam ejus curam in utero videmus, qvem tam ſollicitè expurgat, juvatqve

qvando

qvando oneroſo pondere liberari non poteſt. Noſtris mulieribus ſolet eſſe faventior, in extrema neceſſitate conſtitutis, modo ad opportunum tempus obſtetrices ejus nutum præſtolentur, tumq; manum promptam & doctam adhibeant. Inſtrumentorum in fœtu mortuo extrahendo utilitatem novimus, & variæ expertæ ſunt. Dici autem non poteſt, qvam in ſeptentrione benigna ſit Natura etiam ſine iſta vi. Exempla nota ſunt. In caſu diſſimili referam qvid nuper viderim. Miles qvidam eqvo ſtabulum humile ingreſſurus, inconſiderata feſtinatione trabem fronti impegit. Tumebat illico pars & moleſto ſenſu afficiebat cordatum hominem, qvi maſculè ſe in obſidione Hafnienſi geſſerat. Sed gravioribus malis aſſuetus tumorem generoſo animo neglexit ſprevitq;. Interea collectum ex contuſione pus, intra cutem concluſum, os ſenſim frontis erodit ad membranas usq; cerebri interiores, ut aperto demum tumore, cerebri motum cum Chirurgo noſtro perito Daniele Aspachio accuratè obſervaverim. Monebamus de imminente periculo, niſi manum Chirurgi admitteret. Imperterritus ille, nihil motus noſtro prognoſtico, dolorem inter minima reputans, ſolâ puris, cottidie copioſe collecti,

cti, abſterſione, unica purgatione & ſudoriferis iſtud ſe vulnus curaturum ſperabat. Id qvod audaciæ illius, etiam inter commilitum compotationes, feliciter tandem ſucceſſit. Tam provida eſt ad ſui conſervationem Natura, ut onere excrementorum, curationem impedientium & Symptomata advocantium, levata per puris abſterſionem ichorisq; evacuationem mundatas partes affectas. conſolidare annitatur, qvod in aliis vulneribus pari facilitate tentat, qvæ vel à pulvere ſympathetico vel Ungvento armario falsò creduntur percurata. Pro Terræ qvoq; Bergenſis maſſa gratias ago. An ſcorbuti ſit antidotum, juxta tecum dubito. Plures hujusmodi terræ in terra qvoq; noſtra reperiuntur, qvarum vis adhuc nobis non innotuit, niſi ad pigmentarium uſum. Forſan tamen occulti aliqvid latet, per experimenta varia eliciendum. Qvod tuæ ſolertiæ relinqvo, qvi præſens copiam iſtius terræ habes, & experiendi commoditatem. Vale & me ama. Hafniæ X, May CIƆ IƆC LXI.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPIST.

EPIST. XIX.

De Bilſianis.

Thomæ Bartholino Hafniam.

Joannes Leonardi Blasius, J. U. D. & Advocatus.

NUnqvam auſus fuiſſem Vir Excellentiſſime graviſſima tua interpellare negotia, niſi à laudatiſſimâ humanitate tuâ mihi veniam ſponderem. Nominis tui qvodam qvaſi ſplendore deterritus ſcribere ad te hactenus ſuperſedi. Novi enim qvàm arduas ſuſtineas provincias, nec feriæ tuæ in uno occupantur curæ, ſed partem laborum tuorum ſibi vindicat Potentiſſimus Daniæ Monarcha, orbis ille Candidatus; partem Academia: qvorum alterum totum expoſcit hominem, & qvicqvid in homine virium eſt & induſtriæ. Attamen qvandoqvidem unicus Frater meus per literas aditum apud te invenerit, & ego jam à teneris, dum me arti medicæ adhuc dederam, ingenii tui dotes, nominis famam & æternitati conſecratos labores admiratus, & aliqvoties hoc publico Carmine teſtatus fuerim, pro innatâ tuâ in omnes doctrinæ, ut ſic dicam, helluones liberam hanc meam compellationem admittes, qva omnia mea

officia tibi humillimè offeruntur. Quæſitis verborum lenociniis laudes tuas non deprædicabo, nec, ſi verba ſuppeterent, id unqvam tentare audeam, veritus, ne laudes, appendices tuarum virtutum & rectè factorum comites, ingenii culpâ detererem. Imitatus qvocirca Timantem, in Iphigenia ad aram periturâ, qvod ſtili penicillo exprimere non polleo, velo contegam. Omnino Tu mihi

—— —— —— —— —— perenni
Luna dum curſu rediens novabit
Menſtrua vultus

In ore eris, non qvidem pro merito, ſed noſtro affectu. Scio qvàm miſerè his in oris à qvibusdam velliceris, qvos putem, jam te ſcire mihi annuis, Bilſium ejusq; aſſeclas indigeto, qvi ſunt Epicuri de grege porci. Doleo, qvod cum ejusmodi farinæ hominibus tibi tam innoxio negotii qvid interceſſerit, dolent & mecum litterati plures. Qvid enim cum talibus agendum, qvi ſeſe, haud moto qvæſtionum cardine, ſceleſtis convitiorum dicteriis munire & erumpere ſolent? Et minis ſolum modo acerbis in Te, & qvi tecum ſine prævio rei controverſæ examine in eorum ſententiam ire detrectant, abunde invehunt, & ſe jactitant imponere Pelio Oſſam poſſe, qvum miſeris illis

procul

procul dubio conſtet qvod contra Deos militare ne ipſis qvidem Gigantibus bene & ex voto ſucceſſerit, adeoq; ſit periculoſæ plenum opus aleæ.

Ultimum qvod Frater meus Gerardus Leon. Blaſius Tibi transmiſit Epiſtolium ſcripſerat Zaſſius aliqvis, contra qvod egregium tuum legimus reſponſum latinè editum, qvod Ego, tunc forte Amſtelodami, ipſo, qvo Fratri meo dilecto, una cum literis tuis, tradebatur momento in Idioma noſtrum belgicum tranſtuli, qvàm rectè, judicent alii, qvi (præfiſcine dixero) me mihiq; ob id laudant. Hoc contra tuum Reſponſum enata rurſus eſt hæc, qvam heic vides, Epiſtola: Venit nomine Bilſii, at hoc Tibi in aurem dictum eſto, Bilſium ejus authorem neutiqvam eſſe aut eſſe poſſe, qvippe qvi idioma noſtrum belgicum non adeo callet, ſed author ejus eſt Laurentius Jordaan, Doctor qvoq; ſi diis placet, Rotterodamenſis, qvi Martialis tanqvam nepos ex Pasqvinorum genere originem ducit, & qvo in ſtudio hic maximè excellit, omnesq; bonæ famæ integræqve æſtimationis Viros laceſſere ſolet indies, cujus improbum aculeum jam ſæpius expertus eſſe celeberr. Prof. Johannes van Horne.

Rem ille in hoc negotio minime tangit, ſed

ſed totus in cõvitiis occupatur, adeoq; reponere qvid, omnino neceſſe eſt, & qvamvis impia mollire Thracum pectora prius qvis poſſet, tamen & hæc Te retorqvere debere vult nominis tui majeſtas. Reſtat illos vehementer exagites, qvi ut Siſyphus ſaxum, convitia revolvunt & crambem jam ſæpius coctam, beſtiarum inſtar ruminant. Sit Reſponſio tua ad literas has Bilſianas (ſi ita nominare liceat, qvamvis author illarum in ipſo frontiſpicio peccet & falſi reum ſe arguat, alienisq; bobus aret) aut Danicâ, aut Germanicâ aut aliâ qvavis lingvâ confecta, ſi ejus copiam nobis per literas transmittere non dedigneris, ejus verſio ſtatim à me probe abſolvetur & edetur. Qvin imo licet Tua Claritas in Arcto habitet, non deſunt tamen & hic, qui pro famæ tuæ incolumitate contra inſulſam hanc Gerronum & Graculorum turbam militare auſint. Qvod reliqvum eſt, Tibi totum relinqvitur, nos Apologeticum tuum anxiè moramur.

Vale Vir honorande, diuq; lætus interſis populo Danorum & publico Academiæ bono, cui natus es. Me Te colentem ſerio & amantem ut redames unicè voveo.

Dabam Lugduni Batavorum a. d. 25. Martii Gregor. cIↄ Iↄc LXI.

EPIST.

EPIST. XX.

Innocentiæ ſuæ Apologia.

Joanni L. Blasio Leidam.

MAgnum Tuum in me affectum ſatis laudare nonpoſſum. Beneficia beneficiis cumulas, meq; oneras encomiis, qvibus imparem me fateor. Exceſſū tamē amoris in meTui gratus agnoſco, & omni ope annitar ne indignum me vel amicitia tua vel affinitate cenſeas. Carmen honori meo dedicatum & editioni ſpicilegiorum meorum à fratre Tuo Celeberrimo D. *Gerardo Blaſio* iterum apud vos procuratæ præfixum, ſublimis Tui ſpiritus publicum eſt argumentum & ſingularis in me benevolentiæ ſignum. Auxiſti candidum ſincerumq; animum eleganti verſione Belgica, qvam Reſponſioni meæ ad Zaſſium commodaſti. Sic parem Te ubiq; monſtras, ſive orationem pedibus certis conſtringas, ſive liberè per argumentum decurras. Placent omnia amoris tui argumenta, vel ideò qvod in hac cauſa Bilſiana juſtitiam ames, cujus clariſſimus & diſertiſſimus es interpres, qviq; ex *Juſtiniano* Tuo litigatoribus iſtis exprobrare potes, qvod parum honeſtè vivant, dum me immerentem lædunt. Ex qva deinde rubrica ſint damnandi, Juris

Con-

Conſultus dices. De cauſæ meæ juſtitia certus ſum, qvia hominem Nobilem non læſi, ſed in experimentorum ejus veritatem inqviſivi ea calami animiq; temperantia, ut hominem naturæ myſteriis intentum ad amorem provocarem & veritatem tanqvam ex ſilice ſcintillas elicerem. Qvod inſtitutum peſſimo conſilio interverterunt, qvi amica verba in ſiniſtram partem interpretati ſunt Nobilemq; Anatomicum, latinas literas ignorantem contra me armarunt. Ego qvidem Zaſſio extemporanea Epiſtola, qvam tanti feciſti, ut in dialectum Bilſio notam transferres, reſpondi, qvanqvam vix reſponſionem mereretur caſſa rebus Epiſtola illius: Apud me tamen ſtatui, ſilentio contemnere qvicqvid poſthac alii ſubornati gerrones effutire contra innocentiam meam voluerint. Nam cum leone, & cum excetra, cum cervo, cum apro Ætolico, cum avibus Stymphalicis, cum antæo deluctari mavelim, qvam cum ejus farinæ hominibus, qvos, ut idem *Comicus* loqvitur, qvum nihil refert, pudet, ubi pudendum eſt, ibi eos deſerit pudor, qvum uſus eſt ut pudeat. Jordanus ille nec beneficio antehac nec injuria notus, ſi author eſt maledicæ Epiſtolæ noviſſimæ, inveniet inter diſcipulos meos qvi eum benè pro meritis de-

pexum

pexum det, jamq; accinctus eſt *Stephanus* noſter, cujus Reſponſionem, qvam inaudivi eum adornare, habebis qvando prælum evaſerit, ex qvâ forſan plura audient mala malorum illi fabri, qvam audivit unqvam Clinia ex Demetrio. Mihi verò gratulor qvod inter paucos famæ meæ obtrectatores, plures in Belgio, in orbe reliqvo ſint candidæ animæ, qvæ in laudes meas ſe ferunt. An id meo merito, illi judicent, qvi me norunt, qvanqvam fateri non erubeſcam, hactenus, qvantum in me, æthera ac lucem amaſſe, & *Seneca* præeunte, teſte cœlo vixiſſe. Tuæ pennæ multa debeo, nec minus fratris Tui Clariſſimi, qvem officiosè ſaluto. Vale, mi Blaſi, & Bartholinum, qvem tanti facis, tuum eſſe non dubita, Hafniæ X. Apr. cIↃ IↃc LXI.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPIST. XXI.

De Curatione Hypochondriaci.

FRID. HAMMERICO Elſingoram.

LÆtor, qvod amicum conſilium nuper communicatum, amicè exceperis. Rogo verò

verò per amicitiam noſtram, ne ægrè feras qvod liberius ſcripſerim de iis, qvæ optimo conſilio ipſe meditatus es. Neq; negligentiam tuam incuſavi in neglecto ſcorbuto, ſed in relatione mihi communicata id neglectum eſſe indicare amicè volui. Abſit enim ut de fide & experientia tua vel minimum dubitem, qvam magni facio & ex merito omnibus deprædico. Recte igitur facis, qvod ſcorbutum qvoq; inqvilinum ægri hoſpitem impugnes. Qvid verò porro faciendum ſit, qvanqvam ipſe prævideas, qvo polles rerum Mecarum uſu, tamen qvia mihi eam neceſſitatem defers, iterum ſvaderem, ut luna decreſcente vena ſecaretur, qvia intelligo naturam per nares excretionem moliri: Deinde ad obſtructiones meſenterii ſenſim aperiendas, cliſteribus iisdem carminativis inſiſtendum, qvia cum ſucceſſu priores applicatos mihi retulit Chriſtina Trönner, qvibus acuendis ſi electuarium Diacatholicum &c. addere placuerit, non repugnarim. Aqvam v. Antiscorbuticam rectè conceſſiſti, ſine ſudoris profuſione larga, unde virium debilitas; ſufficit n. vel levis mador ſive in lecto ſive deambulatione provocatus. Spero freqventiore horum uſu, pectori anhelanti levamen, qvippe credo Reſpirationis diffi

difficultatem pectori & pulmonibus non debe-ri referri acceptam primariò, qvia tuſſis ſicca eſt, nihil extuſſitur, nulla atrophia aut tabes adeſt, ſed dependere à compreſſu diaphragma-tis & vaporibus ſurſum exhalantibus. Interim Tuſſi ad mitigandum ſymptoma illud optimo conſilio linctus à te præſcriptus inſerviet, im-primis ſi Syrupos antiſcorbuticos miſcueris, ſcelotyrbicum, mororum Norvagicorum &c. ſed nolo tædiosè tibi in mentem revocare, qvæ ex uſu eſſe abundè noviſti, veniam potius de-precor, qvod amore & erga Te & ægrum candide repetam Tibi notiſſima. Voti ſum-ma eſt, ut me ames, & porro præclara arte optimum ægrum, vivere & valere digniſſi-mum, ſubleves. Vale, amiciſſime Domine Hammerice, & perge bene de Æſculapio me-reri. Hafniæ 3. April. 1661.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPIST. XXII.

De conditura Bilſiana.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

QVod Olaum Borrichium, virum Clariſſi-mum & noſtræ Academiæ non vulgare

 orna-

ornamentum, cummendatitiis ad me inſtruxeris litteris, habeo ſummi beneficii loco. Sed patiare interim, me amicè tecum expoſtulare ſuper Epiſtolii Tui inſcriptione hactenus, ut non mihi viſa, ita certe admodum inviſa. Qvid enim commiſi nunc, amicitia Tua qvod indignum me reddat, qvo minus jam, ut olim, amicus Tuus audiam! Excuſſi conſcientiæ meæ loculos, nec uſpiam reperio me in Tuam peccaſſe amicitiam: Qvotqvot enim vel ſimplici Tua ſalutatiuncula inſtructi, ad me acceſſerunt, eos omni benevolentiæ genere proſecutus ſum, omniaq; officiorum nomina & obtuli & præſtiti libentiſſimè. In teſtimonium advocare ſingulos non eſt neceſſe, neq; enim culpam tam venio deprecatum, qvàm veluti poſtliminio revocatam eam familiaritatem, cujus doleo aliqvam partem imminutam eſſe ſive locorum intercapedine ſive ob intermiſſum litterarum commercium. Ecce autem qvam commodam mihi præbeat occaſionem D. Bilſius, qvi cum videat nos communem Anatomicorum cauſam in ſui gratiam deſerere nolle, in ambos ſatis furibunde invehitur, verbisq; contumelioſis, ab amanuenſibus ſuis excogitatis, nos laceſſat. Non potui autem non Tibi ſubminiſtrare per Clariſſ. D. Blaſium, qvæ putavi poſſe

poſſe inſervire, & inſeri Tuæ duplicationi, qvam procul omni dubio, ſi alioqvin recte generoſam mentem Tuam novi, ſupperaddes primæ Reſponſioni, qvæ non tam lecta qvam avidiſſimè devorata fuit ab Eruditorum choro. Tibi enim, ceu Herculi Anatomico, hoc monſtrum debellare convenit. Ego aliis armis eum adoriar, & ſicuti brevi ſpero Triumphum de conditura cadaverum, (cujus ſpecimen cum exhibuiſſem Cl. D. Borrichio, aſſeruit Bilſianam ſuperare) ita de ſanguinis ex arteriis in venas traductione magnas cœpi cogitationes. Interea Deum Opt. Max. ſupplex oro, ut qvam diutine lætus interſis populo Aſclepiadeo, ſeroq; in cœlum redeas beatus. Dabam Lugduni Batavorum $\frac{19}{29}$ Aprilis 1661.

Excellentiſſimi Nominis Tui
Cultor
Jo. van Horne.

EPIST. XXIII.

Diſuria à partu difficili.

JOANNI van HORNE Leidam.

NOli qvæſo de veteri conſtantiq; amicitia dubitare, qvanqvam feſtinans calamus forſan in Epiſtolii inſcriptione amici nomen

 omi-

omiſerit. Altius hæret animo tuum nomen qvam ut obliterari poſſit. Nunqvam de conſtantia tua dubitavi, tot documentis mihi amicisqve qvos benevolè ſemper excipis, teſtata. Suſpiciones ſi qvædam utrinq; interceſſerint, eas apud me expunxi, ſerioq; profiteor bis tanto amicos eſſe inter nos qvam prius. Perpetuum inter nos volo eſſe amicitiæ fœdus, nullis ſuſpicionibus violandum. Primos Bilſij impetus ſuſtinui, nec dubito qvin par ſim futurus ſubornatis illius, ſi in arenam cum illis deſcendere vacaret. Sed qvia maledictis in nuperrima Epiſtola Belgica certant, ſinam eos ſuo ſenſu inimico abundare.

Nihil jam me oportet ſcire, oblitus ſum omnia. Excitabitur ex Academia noſtra, qvi ſuperbiam illorum & inficetos mores verbis condignis caſtigabit. Ego pacem amo, vel ſi certandum, manus cum honeſtis conferre paratus ſum. Cum reliqvis, nulla famæ memoria erit. Tuam verò condituram bonis ominibus proſeqvor, ut æternitati Tuæ applaudam. Anatome jam apud nos qvieſcit, qvam vos ſtrenuè exercetis. Unde deficit ulterior ſcribendi materes. Hiſtoriam tamen conſignabo à Theatro noſtro haud alienam. Hoc ipſo vere ex difficili partu maſculo uxori honeſtiſſimæ

civis

civis Hafnienſis, diſuria orta, mox membranæ prodierunt ſive rudi obſtetricis manu ſive fœtus vi à veſicâ abraſæ, qvibus adhærebant arenulæ calcis inſtar, qvas membranulas ideò non ex uteri, ſed veſicæ cervice credidi poſt ſuppurationem diciduas, inde enim urinæ incontinentia ſeqvuta eſt, ceſſante diſuria. Multa tentata in ſalutem optimæ feminæ, ſed plenam ſanitatem promittere auſus non ſum: Qvanqvam enim tractu temporis mitior evadat affectus, tamen, qvia ſphincter veſicæ læſus mihi videtur, qvi regenerari vix poterit, permanſurum lotii incommodum fluxum ominabar. Id qvod eventus comprobavit. Sedens tamen continere lotium poteſt donec ſurgendo ſe moveat. Neſcio an ſimilia viderit *Hippocrates* l. 2. Epid. ſ. 2. in uxore coriarij, qvæ poſt partum ex locellis membranoſum qviddam dejecit, ſubſeqvente urinæ difficultate. An membranoſum hoc ex cervice uteri prodierit, vel ex veſica, ambigo propter urinæ difficultatem, & qvod hæc poſt aliud puerperium intermiſerit. Noſtra enim necdum exinde peperit, nec difficultate liberata eſt. Tu judica qvi ingenio polles & eruditione clariſſima. Vale, ut publico Reipublic. Anatomicæ bono diu orbi noſtro & Academiæ veſtræ ſuperſis

Hafniæ XI. Junii. cIↄ Iↄc LXI.
T. T. Th. Bartholinu.

EPIST. XXIV.

De prima Ductus ſalivalis exterioris inventione, & Bilſianis experimentis.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

CUm tuum in me affectum conſidero, Celeberrrime Vir, meq́; nihil tale promeritum intueor; non poſſum, qvin ſummam tuam humanitatem eâ, qvâ par eſt, veneratione proſeqvar: Tot enim tui amoris ſe manifeſtant argumenta, ut vel hinc mihi pateat, veteres optimô jure

Præceptores ſancti voluiſſe Parentis
—— —— —— Eſſe loco,

diemqve qvo in diſcipulorum numerum à te adoptatus ſum, natali merito cenſeam comparandum. Qvid enim aliud ſibi vendicant humaniſſimæ tuæ literæ, digna cujus omnibus cum magna gratiarum actione reſponderem membris, niſi ſingula tanta eſſent, ut peculiarem ſibi reſponſionem flagitarent? Qvod cum mea infantia non permittat, ſatius duco gratâ hæc mente recondere, qvam verbis proletariô more gratias agendo, leviora, qvàm pro rei digni-

dignitate, proferre. Cum verò ut ductus ſalivalis exterioris iconem edam in eadem epiſtola authormihi ſis; non poſſum qvin & invidiam, qvam hæc mihi inventiuncula peperit, & ſimul, qvem ex hâc invidia percepi fructum, paucis tibi exponam, non ut in muſtaceo laureolam qværam; ſed ut invidioſum plagii crimen á me rejiciam. Doleo namq; eam mihi imponi neceſſitatem, ut vel de re non ita magni ponderis multa fari, vel turpem ignominiæ notam ſubire cogar. Res qvidem ipſa rite ponderata id neqvaqvam meretur maximè cum ſimilis omnino ductus jam ante fûerit inventus, qvin ipſe, de qvo in præſens agitur, à Caſſerio, licet muſculi nomine, (qvod ex tuis in buccinatoris muſculi hiſtoria didici inſtitutionibus) obobſervatus: Cum tamen, qvod ejus gratiâ mihi intentatur, crimen ſilentium minimè patiatur, tibi ut Præceptori diſcipulus totam rem enarrabo, tuoq; judicio, qvid inde decernendum, relinqvam. Sæpius jam à Clariſſimo Sylvio & à Celeberr. Dno. van Horne ſecundò exhibitus publico ductus ille fuerat, cum aliqvot inde hebdomadibus, qvam ob cauſam neſcio, abalienatus à me Claris. Gerard. Blaſius tantum ſuis tribueret affectibus, ut licet ductus iſtius inqviſitioni manum nunqvam admove-

 move-

moverit; licet cum ſemitruncatum illi primo exhiberem, qvid eſſet non valuerit ſignificare; licet in ſuis ad Eyſſonium literis Frater ejus paucis, ante qvam hæc mihi ſignificarentur, diebus inventionem illius mihi tribuerit; licet ipſe tandem in ultimo de Medicina Generali ſcripto, rei, qvam ſe reperiſſe ait, nec verum aſſignet ortum, nec exitum verum: nihilominus Clariſs. Viris Sylvio & van Horne per Fratrem, hinc prædicto in libro omnibus ſibi illam deberi ſignificaret. Qvæ ut manifeſtiora evadant, veniam dabis, ſi & inventionis occaſionem, & qvid inde actum, paucis expoſuero. Annus eſt, cum ego à Blaſio hoſpitio exceptus obſervans in illo, cui tertia ab adventu meo hebdomade finem imponebat, collegio commodam ſubjecta Anatomica habendi occaſionem, ſollicitarem Clariſſ. Virum liceret, qvæ mihi comparaturus eſſem propriâ manu diſſecare. Qvod cum impetraſſem, faventem adeo ſenſi fortunam, ut in primo, qvod 7. April. mihi emptum in Muſeolo ſolus ſecabam ovillo capite ductum, à nemine, qvod ſciam, deſcriptum invenirem. Detractis qvippe communibus velamentis ſectionem cerebri meditabar, cum forte vagantia per ora vaſa prius examinanda judico. Eô itaq; fine venarum, arte-

arteriarumq; vias immiſſo ſtylo explorans, apicem obſervo non ulterius intra tunicarum anguſtias coactum amplâ in cavitate liberius vagari, moxqve ferrum protrudens ipſos ſonare dentes audio. Miratus rei novitatem Hoſpitem voco ſententiam ejus auditurus, qvi primo vim accuſare, mox ad ludentem ſæpius naturam confugere, tandemq; Warthonum ad partes vocare. Sed cum nec ibi qvicqvam offenderet, nec tractata negligentius vaſa longiorem inqviſitionem admitterent: Majori cum attentione hæc aliâ vice examinare decrevi, qvod & paucis inde diebus in canino capite licet obſcurius ſucceſſit. Cum itaq; uſum vaſis argueret magna cum inferiori affinitas, eodem menſe Præſtantiſſimo Dn. Jacobo Henrico Paulli amico conjunctiſſimo me vaſculum aliqvod ſalivale inveniſſe ſignificavi adjunctâ aliqvali ejusdem deſcriptione. Sed qvandoqvidem ſimile qvid jam tum inventum ſcirem, nec an aliis idem fuerit obſervatum divinare poſſem; ſilui, donec data occaſione Clariſſimum Sylvium ea de re conſulere liceret: Qvi his auditis in homine qværendum illum judicavit, inventumq; Spectatoribus aliqvoties demonſtravit. Habes hic, Clariſſimn Vir, inventionis hiſtoriam: Sed ut certior ea de re ſis en argumen-

gumenta ab ipſis mihi accuſatoribus ſubminiſtrata. Junior Blaſius J. D. & Advocatus, qvi ad Majum usq; menſem eodem anno Amſtelodami degebat, qvi ædes noſtras qvotidie adibat, qvi ſectionibus qvas à Fratre ejus adminiſtratas vidi omnibus intererat: Hic cum illius vaſis mentionem publicè factam à Domino van Horne audiviſſet, miſit eo nomine ad Eysſonium Profeſſorem Gröningenſem Celeberrimum literas inventionem ejus mihi tribuendo. Qvis credet itaq; Fratrem cum Fratre, dum Amſtelodami viveret, qvotidie loqventem, novitatis, ſi qvis unqvam, avidiſſimum, rerum Anatomicarum peritum à Fratre reperta ipſi non adſcripturum? Unum ab ipſis ſuppeditatum mihi telum vidiſti; liceret etiam plura proferre ſi operæ precium videretur: Sed qvamvis in privatis literis Blaſius non rationibus ſe tuendo, ſed convitiis, meq; mendacem, iniqvum, malevolum, invidiæ fermento inflatum, & neſcio qvid non, appellando meritus ſit, ut non modo, qvæ pro me facerent, omnia proferrem; ſed &, qvibus me oneravit, in ipſum rejicerem: Cum tamen, qvæ in me conjecit, nunqvam probaturum ſciam, qvæ in illum retorqvenda, pleriſq; adeo nota ſint ut meô non indigeant præconio. Si

in

in tam nobili loco, in tanta omnis generis eruditorum corona & qvidem iterato nomen meum ductui iſti à Clariſſ. Domino van Horne non fuiſſet additum; de jure meo lubens ceſſiſſem: Jam verò, ne in conſcientiam trahatur modeſtia, de illata mihi injuria vel invitus conqveri cogor. Ut verò ad alia tandem deveniam, unum adhuc, qvod validiſſimum judico, addam. Ipſe Blaſius in eo, qvem de Medicina Generali ſcripſit tractatu, ſe nunqvam in ductum illum inqviſiviſſe manifeſto indicio prodit, nec enim veram illi originem nec egreſſum verum tribuit, qvin ipſi, unde ſcaturigines habet, glandulæ uſum adeo ignobilem adſcribit, ut niſi me illum ei exhibuiſſe certus eſſem, nunqvam illi viſum affirmarem. Patebit hoc magis in illa, qvam ſub manibus habeo, diſputatione. Qvandoqvidem enim parotidum affectus & alii vicinarum partium morbi, qvi ex hiſce aliisq; à me obſervatis lucem aliqvam accipere videntur, accuratius examen reqvirant; non abs re fore credidi ſi interea exercitii gratia de glandulis qvibusdam capitis, cum earundem, ut in vitulino reperiuntur, vaſis diſputationem adornarem. Hoc enim parum æqvæ illius accuſationi debeo qvod cum vitulinum caput, in qvo ſe vaſculum hoc reperiſſe ait, ad deſcri-

deſcriptionis illius normam examinarem, non modo ne umbram qvidem illius in vitulo viſam illi manifeſtè obſervarem, ſed & nova qvædam Lymphatica notarem. Parotidum namq; examen & cum maxillarium inferiori collatio in trium glandularum natura qvidem à prioribus diſſidentium, per vaſa autem commercia cum iisdem exercentium inqviſitionem deduxit: è qvibus ſalivales glandulæ duas interior unam, alteram exterior ſibi aſſociarunt, tertia in collo ſita, ſuperiore ſui parte, qvæ gibba eſt à duabus illis vaſa accipiens novum ab inferiori & concava parte ſatis conſpicuum canalem deorſum mittit, qvem reſectum à trunco caput ulterius proſeqvi vetabat. Sed de his in dicta diſputatione uberius, modo & clarius interea licuerit in alio eadem notare, cum alio ductu qvem in thorace vidi à thoracico & ſitu & contenti colore diſcrepantem, de qvo nihil obſervavi præter ductum ſatis longum in ſiniſtro thoracis latere ultra noni nervorum paris interiorem ramum ſitum, adqve glandulas jugulares aſcendentem, qvem ſi à fonte ad oſtium usq; accuratius proſeqvi dabitur, una cum cæteris tibi, ut qvi primus hæc vaſa detexiſti, & cui, qvos inde rivulos alii addiderê omnes debentur in grati animi ſignum,

cum

cum aliter gratum me oſtendere non liceat, offeram. Cum autem vaſis illius meminerim, afferam experimentum, qvod prædicta in alio cane fruſtra qværenti ſe præter opinionem exhibens à Bilſii partibus prima fronte magis eſſe apparuit, qvam revera fuit. Dum enim paſtum nuper canem à cæna ilico aperio, primo ſtatim aſpectu egregium præſentibus ſpectaculum exhibuêre albis lacteorum gyris undiq; picta inteſtina, ut ſangvini ad illa delato recurrens inde lac copia cedere vix putarem. Sed qvia receptaculum nondum lacte tinctum, & thoracicus valde exilis, vinculô huic injectô in craſtinum canem repono. Seqventi die qvæſitis fruſtra cæteris ad ciſternam rediens omnia mutata reperio, ipſa enim pridie arcta & nihil minus, qvam lac, referens, albô humore jam diſtenta tumebat: Thoracicus etiam vix tum conſpicuus ſimili modo turgens plurimos oſtendebat ramulos poſt brevem digreſſum in eundem, unde orti, truncum redeuntes, qvod verò huc præcipuè facit à receptaculo ad glandulam ingvinalem uſq; productum vas totum lacte plenum conſpiciebatur; licet qvidam è rivulis ad idem vas aliunde tendentibus lympham colore aqveô proderent. Mirabar initio qvâ ratione in glandulam derivatum lac valvularum

larum repagulô non fuerit retentum, ſed mox concidentes interdum in mortuo valvulas reſiſtendo non eſſe facile videbam, maximè ſi compreſſo ſemel vaſe lateri, qvod à Clariſſ. Sylvio audivi, applicentur. Nec dubito qvin hæc Bilſium fallant, qvi ut ſuccum exprimat, vaſa comprimit, unde admotæ lateribus valvulæ commeanti ultro citroq; liqvori facilem tranſitum concedunt. Cætera iſtius viri myſteria qvod attinet, minoris ſenſim fieri videntur: cum & Balſamô condita à Celeberr. Dn. van Horne manus mumiis illius palmam dubiam faciat, & ſectio ſine ſangvine non adeo difficulter poſſet adminiſtrari. Cùm enim ligaturis ſe uti, nobis retulerit, facile apparet qva ratione ex una parte corporis in alteram derivari poſſit ſangvis vivente adhuc animali. Ligatô qvippe in vicinia cordis aortæ trunco deſcendente cum aſcendente cava non dubito qvin cor omnem ex inferiori corporis regione ſangvinem exhauriens ſuperiorem ſit repletu-rum, eoq; modo facile foret vacuatas ſangvine partes pro lubitu ſecare, & viciſſim qvæ viſum aliâs fugiunt vaſa humore turgentia oculis ſubjicere videnda. Tentaſſem hæc ſi in vivorum ſectione magis fuiſſem verſatus, nec anguſta domi res ab illis me experimentis, qvæ & ſum-

ptus

ptus reqvirunt & tempus retraxiſſent. Magnam nihilominus ſpem injecere mihi noviſſimæ tuæ litteræ, qvibus & ad ſtudia hæc me animare voluſti, teq; mei memorem datâ occaſione futurum aſſeverare. Mœcenates namq; illi non defuturos ſcio, cui ſuam eâ in re operam tantus vir pollicetur. Sed nimium te detineo. Vale Clariſſime Vir, meq; tuo favore dignari perge.

Dab. Lugd. Batav. Ao. 1661. 22. Ap.

T.
Obſeqv.
Nicolaus Stenonis.

EPIST. XXV.

De componendis diſſidiis. Bilſianis moribus. Morbillis graſſantibus.

NICOLAO STENONIS Leidam.

INduſtriam tuam in rimandis humani corporis myſteriis & felicitatem in inveniendis, mecum erudita patria ſatis deprædicare non poteſt, qvæ ſibi de tanto cive gratulatur, & ego de tanto diſcipulo, cujns opera cottidie res Anatomica creſcit, & magnum incre-

incrementum Vaſa noſtra Lymphatica capiunt. Orbem qvoqve magno beneficio Tibi obſtringes, ſi & iconem qvod nuper ſvaſi, & accuratam ſalivalis ductus exterioris dederis deſcriptionem. Cum *Whartono* laudem partitam mereris, qvod interiori illius ductui, exteriorem addas, ſicq; ſalivæ fontes detegas, de qvibus multa hactenus multi ſomniarunt, nemo ante vos intento digito potuit demonſtrare. Perge, mi Stenoni, ad immortalem gloriam graſſari, qvam Anatome perfecta Tibi ſpondet. Ægrè autem fero, qvod in naſcentis famæ exordio, adverſarios tibi pepereris, eosq; ex amiciſſimis. *Cl. Blaſium* noſtrum tecum committi nollem, qvia utriusq; amicus concordiam inter vos mallem qvam diſſidia. Uterq; in promovendis Reipublicæ Medicæ commodis intentus provideat, ne æmulatio in invidiam vertatur. Fel à ſcriptis eruditorum abeſſe debet, ne ſi aptam moderationem penna ſupergrediatur, oneri potius lectorum qvam uſui exuberet. Sed te monere opus non eſt, qvia modeſtiam tuam novi & ſedatam mentem. Nec de *Cl. Blaſii* prudentia dubito. Plura nunc non addam, qvia utrumqve amo. Pro publico tamen oro, ne inter diſſidentes voluntates veritas capiat detrimentum.

ſum. Excute loculos tuos, ut promiſſas obſervationes qvam primum in publicam orbis ſcenam mittas, in laudem patriæ, naturæ complementum & tuam gloriam, cui eruditi acclamabunt. Dignum qvoq; tuæ diligentiæ facis, qvod Bilſiana ſecreta ad veritatis experimentorumq; trutinam expendas, Lymphaticorum Vaſorum ſaluti & incremento inſudans, qvorum lympham qvomodo ad alium curſum deflectat, qvam qvem ligatura in vivis monſtrat, divinare non poſſum. Si oculos noſtros veſtrosq; effaſcinare poteſt, artium curioſarum magiſtrum nobilem dixerim. Non auſim negare promptam illi in ſectione & exercitatam eſſe manum, ſed eruditionē vacuam intelligo. Concedi & id illi poſſet & commodè excuſari, niſi caninos mores indueret, qvos ex Epiſtolis inhumanis non ſemel jam didici, ut verè cum *Sorano Epheſio* c. 1. Iſagog. dixerim; ſi unum de duobus defuerit, videtur melius eſſe bonum, qvam artificem perfectum, mores habentem malos & improbum eſſe: modeſti ſiqvidem mores, qvod in arte deeſt, honeſtate repenſare videntur. Culpa autem morum, artem perfectam corrumpere atq; improbare poteſt. De nobis ſi qværas, ſcias valere nos, ſed neſcire qvam rem geramus,

ramus, qvanqvam otioſus noſter non ſit calamus. Febres nos in urbe terruerunt, qvæ continuæ graſſabantur nuper cum dolore & ſudore capitis, exanthematis latis, rubris, purulentisq;, ſed, Deo ſit laus, plerisq; hactenus indemnes. Morbilli qvoqve cum tuſſi ſine periculo multos affligunt juniores, extra cutem prominentes, aſperi, ſubinde albi. Familiam meam adhuc ſartam habeo. Utinam perennis mihi hæc ſit felicitas. Tu verò, mi Stenone, Anatomico ſtudio Te porrò immerge, ut in patriæ ornamentum feliciter emergas, qvam tuis virtutibus favere credas. Vale feliciter, & me tuum ama, qvi ex animo Tibi favet. Hafniæ X. May. cIↃ IↃc LXI.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPIST. XXVI.

De homuncione ex ſemine.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

TRaditus eſt mihi libellus, SPICILEGIUM &c. mihi dedicatus. Perſpicio exinde non ſolum, ſed etiam ex aliis tuis ſcriptis, in qvibus honorifica mei fit mentio, ſingula-

gularem animi propenſionem. Magnus in oculis meis fuit BARTHOLINUS parens, vir omnium ſeculorum memoria dignus. Magnus eſt filius, inſigne hujus ævi decus, magnum Anatomes labaſcentis ſtatumen & præcipitantis veritatis Atlas. Obviam ito porro Bilſianis inſolentiis, & continua Centurias Obſervationum Anat. & Medic. enucleatiſſimas. Pullitiei Danicæ hiſtoriam miratus ſum, ejusq; faciam tuo ex opere mentionem gloriosam libro 6. Chimiæ in artis formam redactæ, occaſione non Entis Chimici, homuncionis nempe ex ſemine in furno Chimico producti. Qvam primum liber ad umbilicum typis fuerit exſcriptus mittam. His nos divinæ protectioni commendo: Datum Jenæ anno M DC LXI. pridie nonarum Maji.

Perilluſtris excellentiæ Tuæ
admirator
Guernerus Rolfinck.

EPIST. XXVII.

Ex ovo generationes hominum.

GUERNERO ROLFINCKIO Jenam.

BEnevolum Tuum de Lymphaticis noſtris judicium dudum ex Cedro dignis Opuſcu-

lis Tuis intellexi. Gratulatus ſum mihi ſemper, meisq; inventis, qvod tantum Virum invenerim fautorem, qvi rectius de his aliisqve artis noſtræ ſecretis judicare poteſt, qvippe qvi ubiqve ampliſſima eruditione, judicij maturitate, famæ magnitudine, orbis applauſu regnat; qvam alij qvi alienæ magis qvam ſuæ famæ incumbunt, nihilq; ipſi futura laudis agunt. Plura alia affectus ſingularis in me documenta ediſti, qvæ tacere malo qvam non ſatis deprædicare. Et gratiam tuam tuorumq; ſimilium malo qvam jacto: magisq; ſum tantæ amicitiæ cupitor qvam gloriator. Auxiſti beneficium, qvia ſpicilegium miſſum, magnoq; Tuo & immortali nomini inſcriptum, facilis admiſiſti. Pro magnis in Rempublicam meritis, exile eſt donum, devoto tamen animo qvam mole penſandum. Pullitiei Danicæ qvod in ſcriptis æternitati conſecrandis, memineris, benevolentiæ in patriam noſtram meq; eſt argumentum. Adeò verò eandem deprædicavit olim Cl. *Veslingius*, utriusq; amicus, ut Ægyptiacæ, qvam præſens viderat, longè prætulerit. Ingenioſus hic apparatus ſummum Maximi Regis Divi *Chriſtiani IV*. ingenium animumq; teſtatur, ut dolendum ſit nec volam nec veſtigium ejus amplius in arce Fridericiburgenſi ſupereſſe.

eſſe. Homuncionis in furno Chimico excludendi modum rectè inter non Entia ponis, in *Paracelſi* cerebro natum. Qvem prorſus proſternit nova *Harvei*, generationis & conceptionis ratio. Qvia verò ex ovo pullorum inſtar, omnia generantur, etiam homo, qvod in Pſaltriæ hiſtoria *Hippocrates* docuit, aliqvid efficeret Paracelſus, ſi tale ſuis furnis includeret. Rarò tamen ova humana haberi poſſunt qvorum exempla Centuria Prima Hiſtoriarum noſtrarum attulimus. Aliud exemplum magnus noſter *Jo. Rhodius* in Obſ. Med. recitat. Nuper admodum uxor civis Hafnienſis, poſt imprægnationem XII. hebdomadarum, ex utero ſenſit dolores parturientium, dumq; anxiè ſe in lecto verſaret, ecce ovum prodit, ſed teſtâ molliuſculâ, qvo ſtatim apprehenſo, ut qvid rei eſſet, preſſius intueretur, compreſſa manu imprudentius fregit, nec præter flatus qvicqvam, invenit, putamina verò mollia putrida abjecit in ſterqvilinium. Dolores interim ingentes perſeverarunt, tardius inde convaleſcenti. Hæc verò & ſimilia ova ſubventanea furnum Paracelſicum facilè eludent. Nam deficit ubiq; extra uterum materia conveniens fœtui. Igitur tuæ cenſuræ ſtabimus, qvi orbem erudire magnis voluminibus ſoles. Vive diu, Germaniæ

ornamentum, & Medicorum hujus ævi Clariſſime, ut diu famâ magnâ fruaris, & Te Reſpublica Medica fruatur. Cl. Schenckium & Mœbium officioſè ſaluto. Hafniæ XII. Junij cIↃ IↃC LXI.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPIST. XXVIII.

De Fœtu prægnante, & calculis ex utero editis.

JOH. DAN. HORSTIO Darmſtadium.

CRedo Te accepiſſe reſponſorias meas literas d, 2. Nov. 1660. ſcriptas, qvibus amicè ſententiam meam conſignavi de Fœtu Muſſipontano extra uterum in abdomine contento, tandemq; lapideſcente. Miſſæ illæ fuerunt Hamburgum ad Adm. Rev. D. *Schuppium*, nec dubito qvin rectè curatæ ſint. Ex illo tempore ad manus meas pervenit alius fœtus, illo multo mirabilior, à me *Cent.* 6. Hiſt. ult. breviter deſcriptus, nempe fœtus alio fœtu prægnans. Res mira & dubii plena. Certa id obſtetricis noſtræ Siſſeliæ fide accepi. An aſſenſum multorum ſit impetratura, dubito, interim

rim rem actam juramento confirmat. Ego nullius conſcientiam obſtrinxi, conjecturam tamen addidi, ſuſpicatus naturam gemellos molitam eſſe, ſed alterum illorum caſu qvodam intra abdomen alterius comprehenſum & conſtrictum. Expecto accuratam magis ejusdem fœtus hiſtoriam, ut accuratior inde hiſtorica Diſſertatio exſurgat. Interim qvod Tibi officium prœſtiti, mihi non denegabis, ut ſciam qvid ſentias. Scio Te primò dubitaturum. Nec id ſine cauſa. Cæterum nunqvam majora miracula & oſtenta videntur, qvam in humano partu. Eſt enim uterus rerum mirabilium officina qvædam. De calculo ex eodem utero edito, qvia ad fœtum tuum lapideſcentem hæc ſpectant, hæc addam præter ea qvæ *Cent.* 4. *Hiſt.* 64. annotavi, eſſe in Muſæo Auguſtisſimi Regis noſtri Dn. FRIDERICI III. Domini Clementiſſimi, calculum, qvem mihi nuper clementer oſtendit. Hunc in Norwegia mulier per vulvam excrevit tanta præditum virtute, ut manibus puerperæ detentus, oborto in vola ſudore, potenter fœtum propellat. Tanta autem eſt clementia Sereniſſimæ Reginæ, ut non paucis in partu difficultate conſtitutis, felici ſucceſſu conceſſerit. An ex utero vel veſica excretus ſit, ſi dubitent ſcrupuloſi, ſciant

certam eſſe de utero relationem, qvæ probabili non caret ratione, nec ſimilium exemplo. Nam ipſe *Hippocrates* l. 5. Epid. ſect. 12. affirmat, ex mulieris utero manibus obſtetricis expreſſum eſſe lapidem aſperum magnitudine verticilli fuſi: *Plinio* authore, l. 38. c. 19. tradunt cervas cum ſenſerint ſe gravidas, lapillum devorare, qvem in excrementis repertum, aut in vulva (nam & ibi invenitur) cuſtodire partus adalligatum. *Ætius* tetr. 4. ſ. 4. c. 28. calculum in utero renaſci conſentit. Lutetiæ lapidem in utero qvandam habuiſſe, refert *VVierus* p. m. 446. 32. Qvod etiam teſtatur *Mart. Akakias* L. 1. M. M. c. 20. Figuram molæ cujusdam nobis exhibuit *Nic. Fontanus* Analect. c. 5. qvam honeſtiſſima qvædam Domina enixa eſt poſt 3. annorum geſtationem, in cujus appendice lapis repertus albus, durus, ponderans æqva lance uncias tres, drachmamq; unam. *Mœbius* c. 20. Med. Phyſ. Fund. narrat in Comitiſſæ à Gleichon viduæ demortuæ utero plures calculos repertos eſſe, illamq; prægnantem creditam. Hæc facient ad illuſtrationem eorum qvæ de fœtu in utero petrefacto alibi ſcripſiſſe nos memini. His vale, mi *Horſti*, & diu Reip. Medicæ bono & gloriæ tuæ ſuper-

perſis, meqve porro ama. Hafniæ 9. Martij cIↄ Iↄc LXI.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPIST. XXIX.

Obſervationes in cadavere Mariæ Auriacæ Principis Regiæ. De tumore dorſi carnoſo.

NICOLAO BENTZONIO Eqviti Aalburgum.

EX condicto Tibi, Vir illuſtris, Rerum Medicarum perito pariter & curioſo, ne nuperi promiſſi immemor videar, mitto obſervationes, qvas Anno ſuperiori die 26 Decembris in aperto cadavere Illuſtriſſimæ Principis Regiæ Mariæ Auriacæ, Londini non ſine publico luctu variolis extinctæ, à Medicis Londinenſibus ad pollincturam vocatis, *D. Aqvin*, *Illſraur*, *Colladon*, *Charleton*, & Chirurgis *Knight*, *Watſon*, *Chocqve*, *Laforaſt*, & Pharmacopæis *Plany*, *Chacqve* annotatas beneficio *Borrichii* noſtri nuperrimè accepi. 1. Cutis exterior fœdata hinc inde tumoribus ſublividis & totum dorſum, hypochondrium utrumq; & thorax, cum puſtulis magnis ſa-

 nie

nie multâ repletis. 2. Aperto abdomine omentum apparuit ſemiputridum, & ſuperiori parte aliqvantulum conſumptum, necnon prope lienem valdè inflammatum. 3. Lien omninò mollis, flaccidus, & ſemiputris. 4. Ventriculus anteriori parte inflammatus, intus aphthis multis, & in fundo longiori glandulâ præternaturali obſitus. 5. Hepar parte ſimâ maculis fœdatum, & prope ad gangrænam usq; inflammatum cum ſummâ parenchymatis flacciditate. 6. Pulmones ex utraq; parte pæne putridi & ſangvine nigricante pleni, & totâ ſuperficie maculis & puſtulis inſignibus conſperſi. 7. Cor molle, laxum, flaccidum & parenchyma ejus fermè conſumptum. 8. Renes ſatis ſani, niſi qvod ſiniſter ad inflammationem tendere videbatur. Sic unusqvisqve ſuos patitur manes, nec à mortis morborumqve cauſis eximuntur Magnatum Aulæ. De ſingulis obſervatis non vacat in præſenti ſententiam dicere, nec ſanè opus, qvia nollem de me dici, Sus Minervam. Tibi enim hæc amicè ſcribo, qvi longo rerum Medicarum uſu & judicii dexteritate ita qvidem magnos parvosqve Medicos ſuperas, ut omnibus, qvibus innotuiſti, potius doctus ſis, qvam Tibi. Ne verò ſim ſine

Sym-

Symbola, ut tuæ curioſitati porrò indulgeam, niſi longiori epiſtolio indigneris, addam obſervationem tumoris in dorſo carnoſi, qvem dum hæc ad Te meditor, forte videre in ædibus meis contigit. Eliſabetha puella in vico S. Clementis habitans, ſi poſtica parte aſpiciatur, creditur eſſe gibba, adeò prominet non tam dorſum qvam clunis. Nudam inſpiciens deprehendi tumorem carnoſum inſignis magnitudinis globoſum, è mediis dorſi vertebris ortum, & infra nates protenſum. Duo capita adulta facilè æqvabat, mollis ad tactum ſed æqvalis, venis tumentibus hinc inde variegatus, doloris expers, niſi ingruente tempeſtate. Qvum ſex menſes eſſet nata, primum deprehenſus tumor, ſed neglectus, tumq; ovi magnitudinem non excedebat. Jam annos nata XXV. moleſte onus hoc geſtat, qvaſi manticam in tergo, laboribus tamen victum qværit, cum de matrimonio deſperet propter denegatum ſitum ſupinum. Pondere ſuo deprimit cutem colli, non ſine moleſtia, tegitq; nates, à qvibus elevari manibus poteſt, pendet enim ſupra nates, qvaſi ſaccus polenta plenus. Sectionem ſvadere auſus non ſum propter molem nimiam, & commercium cum venis nervisq;, qvanqvam

baſis

baſis anguſtior nonnullam ſpem faceret. Beata tamen inter tot aſininos labores eſſe non deſinit, qvia, ut *Lyricus* ait, duram callet pauperiem pati. Ne nimio tumore intumeſcat epiſtola officioſa, deſino, Tibi & familiæ felicia, porrò precatus. Filium tuum, magnæ ſpei juvenem, & paterna veſtigia ſtrenuò urgentem, amo ut filium, & ut porrò in patriæ & parentum gloriam adoleſcat, voti ſumma eſt. Vale, Vir illuſtris, & nos ama. Hafniæ. XX. April. clↃ IↃc LXI.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPIST. XXX.

Inſcriptio Diſſertationis de Hepatis officio.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

PLuribus Te nolim impræſentiarum obtundere: Tantummodo animum Tibi offero, qvalem in tabella tibi votiva depictum cernis, candidum, ſincerum, veritatis ſtudioſum, honeſtatis amantem, atq; amicitiæ cum Bonis. Hæc ubi fucata non eſt, conſtat perpetuò ſua libertati in judicando integritas; nec ob diſſidium

dium ſententiarum, animorum inter Bonos divortium oboritur, cum non poſſimus qvicqvam adverſus veritatem, ſed pro veritate. Ad hanc collimo unicè, qvam & Te ipſum ante omnia ſectari certo mihi certius perſvaſum habeo. Sic verò æqvi boniq; conſules, qvod à T. Excell. diſſentiam qvandoq; liberiùs; cum & illic non minus ſcopus utriusq; unus & idem ſit, atq; ubi ſæpiuſculè tuam autoritatem amplector. Deus Ter. Opt. Max. Tuam Excellentiam diutiſſimè nobis atq; univerſæ Reipublicæ literariæ ſalvum & incolumem præſtet, plurimaq; beet undiqvaq; felicitate. Sic precor, ſic voveo ex animo! atq; ut hæc noſtra conſueto Tibi veritatis atq; humanitatis affectu admittas, officioſè etiam atq; etiam rogo, permanſurus perpetuò.

Excellentiſſime Vir

Virtutum tuarum ſplendidiſſimarum Cultor

Grön. Cal. Maij 1661.

A. Deuſingius.

EPIST.

EPIST. XXXI.

Reſponſio officioſa de Hepate Defuncto.

ANTONIO DEUSINGIO Gröningam.

PUblico & privato nomine Tibi, vir Magne, magna debeo, partim qvod eruditum orbem noſtrum præclaris ingenii & diligentiæ monumentis hactenus illuſtraveris, partim qvod me qvoq; & literis & amplo officio & honorificâ hinc inde mentione ſis dignatus. Culpam deprecor, qvod ſcribendi qvidem officio me præveneris, neutiqvam affectu. Inter felices dies hunc numero, qvi amicitiæ deſideratæ initium dedit, poſthac æternum, qvod opto, duraturæ. Perennitatem ſpondere mihi auſim à morum ſimilitudine. Candidum enim Te video & ſuſpicio, veritatis ſtudioſum, honeſtatis amantem atq; amicitiæ cum bonis. Ego in eam qvoq; curam incubui ſemper, ut candore meo me involverem, ſectarer honeſta, veritatem amarem & bonorum amicitias ambirem. Qvanqvam verò omne punctum apud invidos & ingrati ſeculi incolas haud retulerim, in magna tamen felicitatis parte reputavi melioribus placuiſſe, hoc eſt, Tui ſimilibus, adeoq; ipſi Tibi. Sit igitur inter nos conſtans & perpetua ami-

amicitia nullis artibus violanda. Do fidem dextramq́; nec candore, nec veritatis amore ulli mortalium me ceſſurum. Qvas virtutes, qvia ipſe pleno pectore poſſides, non potes non optima qvæq́; & conſtantiam de me qvoqve ſperare, tui in poſterum amiciſſimo. Noli dubitare, me talem eſſe & futurum, qvalem credidiſti. Qvumq́; propoſita ſit utriq́; veritas, eandem honeſta qvadam contentione ſectemur, diſſentiamusq́; ſed incolumi amicitiâ. Malè enim illi & famæ ſuæ & veritati conſulunt, qvi in veritatis inveſtigatione, convitiis aliter ſentientes plenâ authoritate proſcindunt, & qvaſi mancipia tractant. Non hac tyrannide ad viam veritatis graſſaris, ſed liberè per ſuſceptum argumentum decurris. Ita qvoq́; animatus ego, qvæ ſentio eloqvor audacter, & diſſentientium ſtudia fero patienter. Videbis, niſi fallor, ex Diſſertatione mea De *Hepate Defuncto*, Tuo honori dedicata, qvàm cordi mihi fuerit illa temperantia. Meipſum vindicavi & veritatem ſine tuis ingratiis, qvia amicitam tanti Viri malui qvam inimicitias. Ignoſce tardiori reſponſo, nec culpam mihi, ſed Bibliopolæ noſtro imputabis, qvi Diſſertationem hanc, qvanqvam diu ante inceptam, ex prælo tamen antè exire paſſus non eſt, qvam Nundinæ Francofurten-

ſes

ſes inſtarent, ne per Belgarum typographorum promptitudinem anteverteretur, magno ſumptuum detrimento. Qvidqvid ſit, rerum momentis diligenter expenſis, minus Bilſio tribues, qvam vel veritati vel noſtræ amicitiæ. Deus Te publico bono diu ſervet, tuosq; Collegas *Eyſſonium* & *Schoockium*, qvos tecum ſalvere & valere jubeo. Raptim Hafniæ XX. Jan. cIↄ Iↄc LXII.

T. T.
Th. Bartholinus.

Impreſſ. Gröning. 1662.

EPIST. XXXII.

Medicorum Defenſio.

NICOLAO STEPHANO Gedanum,
TH. BARTHOLINUS.

AGnoſco pietatem tuam, & in Præceptore qvondam tuo defendendo promptitudinem. Nollem itineris tui cogitationes Apologiâ defatigares, aliis majoribus curis deſtinatas. Ego certè qvicqvid concitatior Nobiliſſimi Bilſii calamus expedivit, libenter ſilerem, qvia magna mihi in innocentia fiducia,

cia, nec memini qvidqvam ex mea penna profluxiſſe, qvod bilem illius commoveret. Amice pro genii more experientias illius ad partes vocavi, ſine livore, ſine ullo irritandi animo, qvem integrum ſpero me ſervaſſe. Orbem eruditum pro judice acclamo, & conſcientiam fallere neſciam. Ab illo vitæ teſtimonium, ab hac ſecuritatem mihi ſpondere auſim. Si omnibus placere hactenus non potui, melioribus tamen candorem, ſinceritatem & vitæ integritatem confido me innocentibus ſcriptis probaſſe. Et qvanqvam plures dura calce me impeterent, immota tamen penes me erit conſtantia, ſummoq; meo Regi, cui ſacramentum dixi, placuiſſe in ſumma felicitatis parte reputabo. Hinc ne lecta qvidem, ſed neglecta mihi fuit Epiſtola inimica, nec ultionem meditavi, qvod ſcirem innatum mortalibus eſſe ſibi blandiri ſuisq; vitiis pulpamentum qværere, & nihil aliis, ſibi omnia condonare. Nævos Bilſianos léniſſimâ manu tetigi, qvam ſi qvidem ferre non poteſt, cum venia retraham, nec amici officii culpâ amplius tenebor. Qvod verò de avaritia blando ſermone & invidia ſine invidia in ſpicilegio & Reſponſione notavi, preſſi magni Hippocratis & Scribonii veſtigia, qvibus potius qvàm mihi

læſæ nobilitatis crimen Bilſius imputet. De avaro lucro Medicis indigno, ita *Cous* Senatui populoq; Abderitarum perſcripſit: ἐᾶτε ἐλευθέρης τέχνης, ἐλεύθερα καὶ τὰ ἔργα. *Sinite liberæ artis libera eſſe opera. Qvi autem mercede operam ſuam locant, hi ſcientias tanqvam ex priore libertate mancipio dantes ſervire cogunt.* Miſerabilis ibidem dicitur humana vita, qvod ad eam totam intolerabilis argenti cupiditas, velut hybernus flatus pervaſerit, ad qvem morbum inſania graviorem curandum, utinam Medici omnes potius concurrerent, qvæ tamen beata cenſetur, cum morbus ſit, & malè affligat. Invidiam Medicorum tam acerbê perſtrinxit *Scribonius Largus* in Epiſt. ad Calliſtum, ut non dubitem qvin Nobilis Bilſius illius cenſurâ lectâ mitiorem vultum ſit habiturus, ſed nævis ſuis inimicum. Condonanda enim huic Nobili rerum noſtrarum ignorantia, qvia omne ſtudium ad ſecanda animalia contulit. Qvicqvid ſit, qvia ferre non poteſt vel levem amici tactum, medicisq; manibus iraſcitur & animo vehementius qvàm decentius commovetur, parcam impoſterum operæ, & qvia ab omni inimica lite me ſtatui ſubducere, ut qvod reliqvum eſt vitæ, pacata mente abſolvam, antiqvam Romanorum Repudii formulam Bilſio mittam:

RES

RES TUAS TIBI HABETO.

Cætera qvæ Medicorum dignitatem ſpectant, communis cauſæ præſidio ſubmittam. Tantum qvisqve honoris habet, qvantum Rerum Domini ſeu ex favore ſeu virtute contribuunt, nec facilè qvisqvam vel natalibus vel meritis dignitatem merebitur, niſi ſuperum acceſſerit indulgentia. Medicorum honori ipſe Deus favit apud *Syracidem*, de qvo legendum eruditum *Melchioris Goldaſti* Paradoxum. Imperatores qvoqve Romani ſummis privilegiis & dignitatibus medicos æqvarunt, ne poſterorum aliarumq; gentium Annales excutiam. De immunitatibus illorum ita *Conſtantinus l. 10. Cod. tit. 52. §. 6. Medicos & maximè Archiatros, vel ex Archiatris, Grammaticos & Profeſſores alios literarum & Doctores legũ ab omni functione & ab omnibus muneribus vel civilibus vel publicis immunes eſſe præcipimus, & neq; in provinciis hoſpites recipere, nec ullo fungi munere, nec ad judicium deduci, nec eximi vel exhiberi, vel injuriam pati.* Similia indulgentur Profeſſoribus Hafnienſibus in fundatione *Chriſtiani Primi*, confirmata à filio *Johanne*, ejusqve ſucceſſoribus Optumis Maximis, qvorum majeſtatem & clementiam in *Friderico Tertio* Auguſto, Domino meo Clementiſſimo, exauctam veneramur, qvi ſuos

Medicos & Profeſſores ab omni injuria vindicabit. In eadem Conſtitutione *mercedes illis & ſalaria reddi* jubet *Conſtantinus*, *quo facilius liberalibus ſtudiis & memoratis artibus multos inſtituant*. Diligenter illis conſiderandum, qvi Romanis legibus vivunt, primò nolle Imperatorem invidiâ qvadam artes occultari, ſed ad multos propagari. Deinde Imperatorem ſalaria conferre, ne privato lucro qvisq; inhiet, de qvibus ſalariis Medicorum plura perdocta annotat *Jo. Fileſacus* ex l. 1. Select. de Medicin. Defenſ. adv. Plin. Deniq; Medicos Archiatros & Profeſſores pares videri, iisdemq; gaudere prærogativis, qvum etiam ex hac lege, omnes illi artibus ſuis multos inſtituant. In patria qvoqve noſtra indiſcreti hactenus iſti fuere honores, ut Medicinæ Profeſſores cùm Archiatris pari paſſu ambulaverint, & in unum Facultatis Medicæ Collegium convenerint. Tenentur enim & Medici Academici ex Fundatione *Chriſtiani Tertii* glorioſæ memoriæ, ægrotorum in aula Regia curam habere. Nonnulli qvoq; Medicinæ Profeſſores, ut *D. Jacobus Bordingius* & *D. Petrus Capitaneus* Viri ſuo ſeculo clari, Archiatri ſimul honore & onere defuncti ſunt. Alii partito munere vel ex Academiis ad Aulam tranſierunt, *D. Henningus Arniſæus* ex Acad.

Julia,

Julia, D. *Jacobus Fabricius* ex Acad. Roſtochienſi, & D. *Simon Paulli*, Prædeceſſor noſter honorandus, ex Academia noſtra; vel verſa vice ex aula ad Academiam vocati ſunt, qvod de magnis Archiatris D. *Petro Severino*, & D. *Matthia Jacobæo* Acta Academica teſtantur. Dignitatem Imperatores *Honorius & Theodoſius* clarius orbi protulerunt *l.* 12. *Cod. tit.* 13. *l. unic. Archiatros intra palatium militantes, ſi comitivæ primi ordinis nobilitaverit gradus, inter Vicarios taxari præcipimus: Ita ut inter Vicarios, & Duces qvi adminiſtraverint & eos qviComitivam primi Ordinis meruerint nihil interſit, niſi tempus qvo qvis adminiſtraverit, vel comitivæ adeptus eſt inſignia.* Ampliſſima in Imperio Romano *Vicariorum Ducumq́;* erat dignitas, qvibus Medici comparantur, & hoc *Comitivæ* honore meruerunt *Spectabiles* vocari & *illuſtres* apud *Caſſiodorum* lib. 6. c. 12. His ut aliqvando annumereris opto, qvia præter votum pro benevolo tuo affectu nihil in præſenti reliqvit fortuna. Alia miſſa facio, qvibus te nolim nimis occupari, ne alienas in te devolvas inimicitias. Concoqvenda multa ſunt eruditis, nec facile ad qvemvis inſurgentis ictum cordatus nictat. Mihi certè, conſilio *Tullii*, ratio habenda fuit, non qvid Nobilis Bilſius illiusq; domeſtici meritò

 audire

audire deberent, ſed ut ea dicerem, ſi qva ego honeſtè effari poſſem. Vale, mi Stephane, ut innocentiam meam tuâ qvoq; cum ſalute tuearis. Raptim Hafniæ $\frac{17}{27}$ Maij 1661.

Impreſſ. Hafn. in 18. & Amſtel. in 12.

EPIST. XXXIII.

De Epitaphio Hepatis.

THOMÆ BARTHOLINO. Hafniam.

PUdet me tam diu præter meam mentem ac decorum protracti ſilentii. Qvanti Te, tuamq; eruditionem multifariam fecerim ſemper, teſtari poſſunt omnes qvi aliqvando audiverunt me de Anatomicis loqventem, atq; Paternas Inſtitutiones à Te Reformatas cæteris omnibus præferentem ac commendantem. Tantum autem abeſt, qvod ſuſpicaris, ut cuncta mihi hactenus ex animi ſententiâ fluxerint, ut dubitem, an id de ullâ re dicere poſſim; Didici tamen qvalicunqve meâ ſorte vivere contentus. Cùm Vir Elegantiſſimus, D. Möinichenus Tuus, &, ſi volet, etiam Meus, ſemel atq; iterum me inviſere non dedignaretur, rogavi, ut in patriam redux meo nomine Te

ſalu-

ſalutaret, & ſignificaret me neutiqvam animoTe offendendi ad didiſſe in 6tæ Diſput. meæ theſi 4tâ. qvædam de Epitaphio Hepati ſcripto, verùm ne, ſi hoc præteriiſſem, viderer in Te ſcripſiſſe, qvæ præcedenti theſi 3tiâ moveram contra hominem valdè mordacem&qvosvis præ altâ ſuâ, ſi Diis placet, ſapientiâ, etiam in rebus ſibi planè incompertis carpentem; qvamvis ne ſic qvidem effugere potuerim iniqvum communium amicorum judicium, donec Ipſis rem totam aperuerim explicatiùs. Cæterùm nunqvam putavi te ſeriò, qvin potius ludendo Epitaphium ſcripſiſſe Hepati; qvod dum meritò munere ſangvinis conficiendi primo exuiſti, nec aliud interim in ejus locum ſubſtituiſti, non ſine cauſâ fortè poteras videri illud jàm omni munere qvaſi defunctum & tumulatum Epitaphio ornaſſe. Optarim tamen, nî moleſtum foret, munus à Te ipſi nunc adſcribendum cognoſcere, cùm putem intereſſe noſtræ Artis officium ipſius verum ac certum tandem aliqvando erui & omnibus manifeſtari. Propoſui qvidem ego meas de ipſo Conjecturas, ſed conjecturas tantùm, paratus ſc. ſeqvi certiora & veriora docentem, vel admotis ſimul operi manibus promovere ejusdem inventionem. Gratiſſimus fuit mihi D.

 Olai

Olai Borrichii, Viri certè Doctiſſimi atq; humaniſſimi ad nos adventus, tantoq; gratior, qvod ſimul lectiſſimas à Te mihi attulerit literas, pro qvibus etiam nunc gratias habeo, agoq; maximas: qvales ſi plures audebo à Te expectare, atq; ſimul Tecum de Rebus ad forum noſtrum ſpectantibus amicè conferre, utiqve gaudebo, qvamvis hactenus doluerim, me non ſatis prudenter moviſſe difficultatem, aliis, qvàm mihi, majorem viſam.

Vale, Vir Celeberrime, atq; cum D. Möinicheno noſtro, aliisq; Collegis & Viris Clariſſimis, Daniæ veſtræ Ornamentis, publico inſervire, ac me redamare perge.

Tuum Franciſcum

DeleBoe, Sylvium.

Scribebam Lugd. Batav. iij Id. Maj. Gregorian. cIↄ Iↄc LXI.

EPIST. XXXIV.

De Hepatis officio percolatorio.

FRANCISCO DE LE BOE SYLVIO Leidam.

NIhil unqvam de moribus tuis antiqvis & ſolito in me affectu dubitavi, qvanqvam ſilen-

ſilentium Tibi hactenus benè de Medica Arte merendi cogitationes imperarint. His jam ad juſtam maturitatem perductis, & publicè ea loqveris qvæ publicæ expectationi ſatisfaciunt, & privatim amicis tuis priſtinæ voluntatis amorisq; conſveti, nunqvam ſepulti, indicium per literas facis. Magni Te fecimus ſemper, qvia jam à tot annis fama Tua gaviſi ſumus, majorem poſthac æſtimaturi, qvando qvidem tantis experimentis ex Anatome & Chymia deductis teſtaris qvantis curis Medicis inter tot annorum ſilentia pro publico bono otium triveris, ut orbem erudires. Cenſuram Epitaphij mei Hepatis exautorati gratia ſcripti, pro amicitiæ teſſera interpretor, qvia certus ſum etiamſi excuſationem non prætenderes, offendendi animo nihil unqvam ex calamo tuo emanaſſe. Fateor tamen me primo non leviter turbatum, qvod ſcirem & eruditos ſcire qvoqve vellem, neutiqvam me unqvam Hepati, ſplendidæ aliàs corporis particulæ, tam fuiſſe injurium, ut nullo munere defungeretur, qvanqvam principe ſanguinis ex chylo conficiendi officio inventis lymphaticis exciderit. Tandem meipſum in viam reducens cum Timoleone voti me damnatum ſenſi, namq; hæc à Deo ſemper ſum precatus, ut talem libertatem reſtitu-

ſtitueret orbi literato, in qva cuivis erudito liceret, de qvo vellet, impune dicere. Hanc libertatem Magiſtri, diſcipulus ægrè ferre non debet. Patere interim ut tecum expoſtulem, & amicè conqverar, qvod neſcire volueris qvale officium Hepati ſubſtituerim. Placuit *Pecqveti* percolatorium munus, nec adhuc aliæ ſententiæ ſe pro veriori probarunt. Ingenioſæ ſunt conjecturæ Tuæ de miſtura ſangvinis biliſq; in Hepate perficienda, qvibus tamen acqvieſcere non poſſum. Nec id in me damnabis, qvia liberum de conjecturis tuis judicium nobis relinqvis. Qvanqvam enim adeò veritatis diligentem ſciamus, ut cum Epaminonda ne joco qvidem mentiaris: Dubitantes tamen de veritate, qvæ conjecturis nititur, facilis admittis. Non iverim inficias bilem alimentariam, ita Medicis appellatam, ſive, ut clarius loqvar, ſangvinem tenuiorem arteriarum, in hepate miſceri reliqvo ſangvini per venam cavam promptius ituro; ſed bilem excrementitiam magno ſangvinis detrimento illi admiſceri non auſim dicere, niſi æſtuanti ſangvini novum caloris fomitem corpori exitioſum addere velis. In ictero certè fœdatur cutis propter nimiam bilis cum ſangvine miſcelam, qvam Hepatis obſtructio inducit, qvando bilis ſeparari

non

non poteſt. Conſentiunt hæc doctrinæ *Hippocratis*, cui ægrè renunciant, qvi illi innutriti ſunt. Is l. 4. de Morbis, qvi Theſſali filii creditur, cum bilis locum in jecore expreſſiſſent, mox copioſa bile hepar dolere ſcribit, qvam locus, qvi eſt in hepate, nempe veſicula ad ſe trahit. Et ſi de repente copioſa bilis extiterit hepar homini dolere, & copioſam ex ventre gigni: Hoc ſi contingat, veterem bilem propter multitudinem ad ventriculum ferri, & inde tormina in ventriculo oriri, & ipſius partem qvandam per veſicam qvidem, partem verò per ventrem foras procedere, ſicq; pauciſſimam in homine exiſtere, & dolores ceſſare. Si verò horum neutrum contingat, primum veterem bilem in corpus procedere ſi copioſa fuerit, confeſtim reliqvo humori permixtam, de ſe ſignificationem ex hibere, &c. Hinc percolatorium jecoris munus illuſtratur, ſed ſententiæ Tuæ incommoda elucent. In ictericorum cadaveribus diſſectis, qvia ſeparari bilis non potuit, bilis colore omnia fædantur. Ita refert qvoq; *Chriſtoph. Guarinonius* in Conſil. de Sfortia Cardinale Romano icterico, omnia, inprimis Epar & inteſtina croceo colore totaliter infecta fuiſſe. Ex miſcela iſta ſæpe febres accenduntur, qvando bilis, veſiculâ ſua excretoriâ

riâ excluſa, ſangvini unitur. Exemplum extat de cadavere illuſtriſſimi Principis cujusdam apud *Freitagium* in Hiſt. Morbi annexa libr. de Opio. Taceo alia infinita. Et plerumq; obſtructa veſicula à calculis, qvos ſæpe vidi, qvia percolatio ſecretioq; bilis impeditur, hujusmodi mala eveniunt. Si de modo ſecretionis qværas, an is per deſtillationem, vel præcipitationem, vel colaturam, vel ſuctionem fiat, primas colaturæ partes deferrem, à qva hepatis ſeu parenchyma ſeu venarum capillamenta non abhorrent, ſicut & ſimili colatura ſerum à ſangvine in renibus ſeparatur. Permiſta qvidem ſangvini eſt bilis, ſed ita ut tanqvam heterogenea ſeparari poſſit. Qvanqvam ſi *Hipporcates* in conſilium vocetur, veſicula ſicut reliqvi corporis fontes trahit ſimilem humiditatem non ſecus ac in plantis ſimilis humiditas ex terra ſimilem attrahit. Nolim tamen lympham noſtram negligi, in qva ſeparanda non inutilem operam jecur præſtat, unde ſæpius viſæ veſiculæ aqveæ ſeu hydatides in hepatis membrana, qvando obſtructione qvacunq; excretio illius inhibetur. De qvo argumento plena alibi mihi penna fluet. Obſeqvii mei culpa eſt, qvod hæc Tibi ſcripſerim, non ut diſſentirem, ſed ut erudirer in his qvæ ſacro adhuc tegit involucro

cro Natura, qvæq; Tibi indefeſſo Naturæ ſcrutatori vel nulli patebunt:

Nam minus eſt in me, qvam ſumma pondus
arista,
Qvæ levis aſſiduis ſolibus uſta riget.

Pondus tamen addet tua benevolentia, de qva mihi gratulor, qvia æternam ſpero. Vale, magne Sylvi, & porrò Tibi veteri officio addictiſſimum ama. Hafniæ XII. Aug. CIϽ IϽCLXI.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPIST. XXXV.

Calculus veſicæ cum globulo incluſo.
De Jalappæ doſi.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

G. SEGERUS THORUNENSIS.


GRatias Tibi Vir ſumme habeo maximas, qvod ea qvæ Natura revelavit nuper, in eruditisſimis Tuis die 9. Martii datis, ſignificare volueris. Poſtqvam enim, qvæ de Ductibus Stenonis in dictis literis narraſti, legi, mox animum priſtina ſecandi cupiditas repetiit, qvæ ab eo imprimis tempore, qvo è

Tua

Tua informatione me dimiſiſti, ſemper ferè qvievit. Qvamvis, dum cuncta ruminor, fateri cogar, non absq; multiplici cauſa id contigiſſe, plurimaq; eſſe qvorum neceſſitas hanc in opere anatomico manibus meis qvieſcendi impoſuit legem. Contigit idem & præteritâ ſeptimanâ, ubi dum ad inqviſitionem ductuum Stenonianorum me accingo, caputq; ovinum operi adhibeo, mox advolat amicus, animumq; attentum aliò avocat. Interim tamen de ductuum horum certitudine nullus dubito, cum ſcribas jam bis Leydæ publicè in theatro eos productos eſſe à Cl. Hornio. Accedit qvod non ita pridem qvoq; inciderim in Cl. Blaſii medicinam generalem, ubi in præfatione horum ductuum mentionem qvandam fecit. Non tamen ut ſuſpicor, alium ob finem, niſi qvia primam inventionem ſibi deberi credit. Mirabar ſanè, hæc legens, moderni ſeculi mores perverſas, de qvibus jam nihil addo, cum ex Lymphaticis Tuis Tibi ſint cogniti. Eo fere deventum eſt, ut majori facilitate ipſamet inventa curioſi percipiant qvam eorum inventores. Sed, pervenit tandem & ad Nos Nobiliſſimi Bilſii Opus Anatomicum, duas continens operationes, cum aliqvot Epiſtolis. Cuncta dum avidiſſimè perlegi, plurima qvidem

dem reperi verba, pauciſſima verò ſpecimina. Et cur qvæſo in fætus monſtroſi tertia figura viſcera ſolis lineis literisq; extra ſitum notata? Curioſior ſane meo judicio fuiſſet anatome, ſi & viſcerum ſitus in tabulis aliis curioſorum oculis oblatus fuiſſet. Certe laudent alii hunc morem novum prout velint, non tamen deerunt qvibus recepta hactenus conſvetudo magis arridebit. Plurimi hactenus, ſi qvid in anatome novum obſervarunt, figuris illuſtrarunt non literis, qvod jure merito & in hac ſectione reqviritur, cum nec viſceribus monſtroſitas ſua defuerit. De Zaſii verò Apologia recte Te dixiſſe, qvod olim de Luſcinia: *Vox eſt, prætereaq; nihil*; gravisſimè nuper pronunciavit Graviſſimus Noſter Bauhinus. Rectius egiſſet bonus ille Zaſius, ſi nova illa vaſa, novas membranas, novum moſchum, novasq; arterias, qvas vanus in ſchedis ſuis crepat, erudito communicaſſet orbi. *Hic Rhodus, hic ſaltus.* Magnam verò Tibi, Vir ſumme, gratiam debet Zoilus iſte, qvod ipſe ad illius nenias reſponderis. Sic enim evaſit reſponſum ſuâ epiſtolâ dignum, qvod vel ideò promeruit, qvia Te allatravit. Nuper cum more recepto magnum Noſtrum Æſculapium Dn. Jo. Caſp. Bauhinum conveniſſem, oſtendit mihi Vir ſum-

ſummus Calculum veſicæ qvem è vivo hujus Urbis cive, homine robuſto & qvadragenario, ante aliqvot annos fruſtra extrahere conatus eſt exercitatiſſimus in vicinia Lithotomus, qvia calculus veſicæ lateribus firmiter adhærens omnem artificis operam eluſit. Donec tandem ſupervenientibus acerbiſſimis ſymptomatibus, ipsâq; morte è cadavere erutus eſt. In hoc calculo conſpicitur globulus plumbeus qvalē capere ſolent bombardæ minores. Hic globulus adeò firmiter calculoſæ ſubſtantiæ inhæret, ut planè immobilis appareat. Erat autem & ab eâ parte, qva jam conſpicitur, laminis tartareis tectus, qvas lithotomus effregit, dum calculum forcipe apprehendit. Figuram calculi Tibi



Vir ſumme hic mitto, prout ſcil. jam oculis noſtris ſe offert. Qvomodo verò globulus

ſero-

ſeroſum hoc hoſpitium adeptus ſit, plurimi mirantur, & meritò, neq; enim in membranoſa veſicæ ſubſtantia aliqvod apparuit vulneris aut cicatricis veſtigium. Qvia tamen in ingvine cadaveris cicatriculam ſpectatores adverterunt, homo qvoq; iſte, dum in juventute martem ſecutus eſt, ſe circa illam regionem, globo aliqvando læſum fuiſſe, attamen globum evanuiſſe, amicis ſuis narrare ſolitus eſt, nullus dubito qvin eo tempore globulus circa carnoſam veſicæ partem veſicam lotio repletam intrarit, ibiq; per 20 annos permanens, tartareæ ſubſtantiæ ſe inſinuarit, veſicæ una cum ingvinum vulnere ſanato. Pondus calculi ſunt Unciæ ij. & Scrup. ij. Adjunxi calculi figuræ meam de Varicibus Diſſertatiunculam, publicè in perantiqva hac Univerſitate me Præſide nuper ventilatam. Videbis in illius ſecundo ſuperpondio cur ductus hygropthalmicos potius hygroblepharicos dixerim, nimirum qvia palpebris deſtinatos credidi, qvod vel inſertio evincit, dum ſe in palpebras ſupernè exonerant. Qvod ſi erravi, errantem reduc. Præteritis nundinis per Hauboldum veſtrum, meum Triumphum Cordis iteratum, unâ cum Qverimonia, qvam jam ante ſex annos, ut Tibi Vir ſumme notum eſt, Roëſchildiæ ador-

 navi,

navi, tibi tranſmiſi. Propediem ſeqvetur Diſſertatio de Hippocratis Libri περὶ καρδίης ortu legitimo. Nobiliſſimo Th. Fuirenio pro Catalogo Bibliothecæ Fuirenianæ & Panegyrico gratias habeo maximas, qvi Fuirenianæ Genti in æternum ſum devinctus. Memoria mea Brunniana Tibi deſtinata ubi lateat, me latet. Niſi interea temporis ſe ſiſtat, faciam ut futuris nundinis aliud accipias exemplum. Nuper cum Hiſtoriarum Tuarum Cent. V. & VI. avidiſſimis percurrerem oculis, incidi in Jalappæ damnum, qvod in hiſtoria 69 Cent. qvintæ exponis. Ego præcedenti die, qvæ erat 18. April. radicis jalappæ recentis & gummoſæ pulveriſatæ Drach. j. cum Cremoris Tartari & Cinam. a. Scrup. j. in juſculo aſſumſi & cum εὐφορίᾳ octies dejeci, nullumq; ab eo tempore per Dei gratiam damnum ſenſi. Attamen Magnus Noſter Bauhinus in exhibitione pulveris Jalap Drach. ſ. non excedit. Salutant Te humaniſſime qvos ſalutare juſſiſti, Viri Magnifici, Feſchius, Bauhinus, Stupanus & Platerus. Qvorum poſtremus ſe Profeſſione ſuâ jam ante plures abdicavit annos. Vale Præceptor Colendiſſime, mihiq; fave. Dabam Baſileæ Prid. Non, Junii 1661.

EPIST.

EPIST. XXXVI.

De eodem calculo, & Anatome Urinæ ſuppreſſæ. Jalappa infuſum gratum.

Georgio Segero Baſileam.

CAlculi apud Magnum *Bauhinum* viſi hiſtoria prorſus eſt ſimilis illi qvam ad *Fabricium Hildanum* olim miſerat Genevâ *Paulus Offredus* Medicus itidem Clariſſimus. Releges illam in Obſervationibus *Hildani Cent* 3. Obſ. 67. ubi clarius narratur, globulum ſclopetarium juvenis annorum XX. dextram coccygis partem cum aliqva ipſius oſſis fractura penetraſſe, & poſt curationem cicatricem admodum cavam reliqviſſe. Perveniſſe verò ad veſicæ cavitatem ſymptomata gravia qvæ ſeqvebantur, diſuria, dolor ad veſicam, ſuppreſſio tandem lotii & alia, teſtari poſſunt. Non novum eſt veſicam lædi, maximè in carnoſo collo, cum etiam membrana carnosâ inveſtiatur. Ejusdem ſectio in calculoſis obvio nobis exemplo fidem facit. In qva ſectione qvid evenerit nuper in Belgio, ex hiſtoria mihi ab amico miſſa, Tibiq; jam communicanda intelliges. Juvenis XVIII. annorum calculoſus à Lithotomo Salomone Verkammer Harlemi ſectus fuit non ita pridem, extracto calculo

magno duarum Unciarum cum media, qvatuor digitos transverſos longo. Elapſis tribus qvatuorve hebdomadibus repertum in vulnere fruſtum materiæ lentæ, qvod à Lithotomo extractum apparuit eſſe corpus membranoſum, pugni magnitudine. Ex vulnere ſtatim qvarta menſuræ puris fœtidi pars fluxit, isq; fluxus diu perſiſtens vulneris conſolidationem inhibuit. At parentum rogatu tandem claudi curavit, unde tanti ægro oborti dolores, ut vulnus iterum aperire coactus fuerit, ex qvo magna puris copia fluxit, ſicq; vulnus integri anni ſpatio apertum ſervatum. Interea ſuppreſſio urinæ ſuborta cum ingentibus doloribus & difficili reſpiratione, unde Hydrops abdominis ſubſeqvutus, in mortem terminatus. Ab eodem Chirurgo apertum cadaver, hæc monſtravit: Hepar & pulmones diaphragmati adnata. Siniſter ureter putridus totus & abſens, attamen materia ſibi viam illac paraverat. Ren ſiniſter valdè parvus, nec niſi parum puris reſiduum. Dexter major ſolito. Dexter ureter in parte ſuperiori obſtructus fuit calculo acuminato, cujus unum acumen in ureterem impactum, qva ſi ceræ fruſtum illic eſſet impreſſum, pars verò ſuperior calculi adhuc renibus inhæſit. Inferius in uretere dextro adhuc

carun-

caruncula, ſeu carnoſa materia firmiter adhæſit, qvæ lotio qvoq; impedimentum attulit. In corde inventus polypus, ſeu materia qvaſi membranacea, qvam aliqvi habuerunt pro verme, ſed qvia nullum vitæ indicium apparuit, nec pro vena habenda eſt, potius ad polypum relata fuit, aliàs ſæpe ibi obſervatum. De hygrophthalmici ductus nomenclatura nihil dicam. Illa placuit Cl. *Borrichio* noſtro, qvia ad oculos ſpectant & palpebræ, qvorum hæ ſunt integumenta. Rem ipſam à *Stenonio* noſtro, Anatomes delicio, brevi habebimus explicatam. Jalappæ doſis pro varia ſumentium temperie variat. Rarò tamen etiam robuſtiſſimis ad Drachmæ mediæ pondus concedimus. Forſan radix tua, in qva ſumenda adeò liberalis fuiſti, tam recens non fuit aut gummoſa, qvam Pharmacopœus perſvaſit. Hoc enim hominum genus ſæpe nos fallit, & vetuſtis medicamentis novitatem dare ſcit. Tanta pulveris copia faſtidium parere ſolet. In infuſo gratior eſt medicina. Honeſta apud nos Matrona, pro amicis infuſum ſervat prorſus grati ſaporis. Unciam unam Radicis Jalappæ in ſpiritus Vini qvartario per tres dies cum cortice citri infundit, poſteaq; aliqvoties per chartam emporeticam filtrat, ex qvo

vino unum cochlear exhibet, nec ad duo adſcendit niſi in athleticis corporibus. Dici non poteſt qvam palato hæc potiuncula arrideat, ſaporis amari expers, & feliciter alvum ſubducens præter Medicorum nonnullorum opinionem, qvi dubitant an Jalappa vino infuſa, qvia vis purgatrix potiſſimum in reſina conſiſtit, vires ſuas pro voto communicet. Ego verò laudati infuſi effectum lætum non ſemel vidi. Diligentiæ tuæ in conſcribendis varii argumenti Opuſculis præmium poſteritas rependet. Gratiam à ſeculo hoc vix ſperaveris. Meo exemplo diſce. Perge tamen, ut immortalis ſis, memor Juris-Conſultorum regulæ, honorem lucro imo etiam vitæ præferendum. Vale, Hafniæ prid. Cal. Aug. cIɔ Iɔc LXI.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPIST. XXXVII.

Fluxus Chyloſus ex vulnere thoracis.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

Miraberis haud dubie tardum ad amantiſſimas tuas literas reſponſum. Citius id

miſiſ-

miſiſſem, niſi Tuæ gradu plane teſtudineo huc veniſſent. Qvas n. Cal. Febr. dederas, eas demum ſub initium Aprilis recepi. Excepit me paulò poſt moleſtiſſima Febris, tantaq; per intervalla me ſymptomatum varietate exercuit, ut nihil minus qvam de literis ſcribendis cogitare potuerim. Verbis vero vix poſſum exprimere, qvàm me Tuæ affecerint, & munuſculum iis additum literarium. Ipſemet ſcis, qvod inſperato accidit bonum, qvam gratum ſoleat eſſe & acceptum. Tuæ poſt tam longum ſilentium qvid ni forent gratiſſimæ, cum nil niſi veterem illum ſincerumq; erga me ſpirarent affectum, atq; adferrent una Lectiſſimum ſpicilegium tuum, ſpicis verè aureis, mirandis nempe œconomiæ naturalis myſteriis refertũ, cujus lectione mihi ægrotanti nil ſvavius, nihil qvoq; utilius poterat accidere, cum tàm citò, tam feliciter, qvicqvid dubiorum *Bilſius* & alii moverant, diſpelleret. Qvæ c. 2. contra *Catti-erium* diſputas, atq; *Bartoletti* relatione confirmas, ea in memoriam revocarunt Caſum fermè conſimilem ante Annum in illuſtri Barone de Heiden obſervatum, qvem ſi paulo fuſius recenſeam, haud me rem tibi ingratam facturum confido, ſaltem ut videas, qvantum Tua de Chyli via nobis in praxi verſantibus

lucis conferat. Dictus Baro, Eqvitum Magiſter Brandenburgicus, ſub legione Qvæſtiana in pugna Fiönenſi circa mediam dorſi vertebram ſclopeto læſus, globulo ſubter ſiniſtram ſcapulam exeunte, initio eqvidem non adeo malè habuit, conſveta tantum vulnerum ſymptomata paſſus. Poſt tamen 14. dies retulit, obſervatum fuiſſe in linteis copioſum albicantem humorem atq; continuaſſe per intervalla, neſcium tamen ſe fuiſſe, unde aut qvalis eſſet, neq; Medicum aut Chirurgum, qvorum Conſilio & opera utebatur, qvicqvam de eo monuiſſe. Hæſit vero per integram Hyemem Ottenſoniæ. Menſe Aprili in has oras delatus ſtatim me vocandum juſſit. Inveni Illuſtrem Dn. Patientem debilem valdè, macie confectum, atqve ſingulis circa veſperam diebus leviter incaleſcentem. Qvæſivi ſtatim de pulmone læſo, aſt ſibi de eo nihil conſtare hactenus ajebat. Vulneris os ſuperius conſolidatum erat, inferius ſtillabat conſvetam ſaniem. Sperabam optima qvæq;, verum biduo elapſo, adverti ſupra notatum liqvorem albicantem, paululum tamen flaveſcentem tanta in copia effluxiſſe, ut non ſolum lintea qvintuplicia, induſium, lodiceſq; imbuerit, ſed qvoq; lumbos inundaverit. Miratus inſolitam materi-

am,

am, ſtatim cogitare cœpi, cum diverſa plane eſſet à ſanie & Ichoribus, annon liqvor Chyloſus toti ad nutritionem deſtinatus inordinatâ hac viâ proflueret qvando qvidem Dn. Patiens bene appeteret, cibisq; euchymis & delicatisſimis uteretur, corpus tamen indies magis magisq; contabeſceret. Cogitavi ſerio de eo, neq; qvidqvam aliud reperire potui. Concluſi igitur, nihil magis è re illuſtris Patientis fore, qvam ſi vulneris os ſuperius aperiretur rurſus, qvò debita læſo pulmoni remedia applicari poſſent. Propoſui conſilium, placuitq; primariis Legionis iſtius Officialibus, imprimis qvoqve Chirurgis duobus in arte ſatis exercitatis, ſed Dn. Baro renuit planè, liberèq; profitebatur, ſe tantum ſuper eo horrorem animo concepiſſe ſuo, ut mallet mortem potius qvam ſectionem experiri. Excluſus ergo ſaluberrimo conſilio, qvicqvid aliàs remediorum ſupereſſet conqviſivi ſedulo, inſtitutâq; accurata Diæta, adhibitis qvoq; interius & exterius ſelectisſimis Balſamicis, inprimis è tenellis Corn. Cervini petitis, Deo benedicente in tantum profeci, ut non ſolum Febricula, ſed & Fluxus ad 14. dies remitteret, habitus qvoq; corporis usq; qvaq; floridior appareret magno cum Dn. Patientis gaudio, qvi omni ſe defunctum peri-

culo putans, paulo largius abſente me ſe invitaret, uſus, qvibus delectabatur, in primis Calidioribus, qvæ tamen maxime noxia ſibi fore prædixeram. Recurrit itaq; fluxus, atq; continuavit ad vitæ usq; finem, qvem ex nimia animi Corporisq; Commotione ſibi acceleravit. Namq; cum digladiantes non procul à conclavi ſuo miniſtros vellet compeſcere, neq; ii dicto morem ſtatim gererent, adeo commovit ſe, ut primum Epilepticis Convulſionibus, poſtea, Hemiplegia lateris ſiniſtri corriperetur, qvæ cis paucos dies corpus exſuccum, viribusq; deſtitutum è medio ſuſtulit. Cadaver præſente D. *Holſtio* Poliatro Tönningenſi apertum in inferioribus nihil notatu dignum præbuit, tantum Pulmones eâ, qva vulnus inflictum, parte inſignem putredinem conceperant; Id verò leve primitus fuiſſe, omnisq; periculi expers, αὐτοψία monſtravit. Qvam ergo conducibile fuiſſet, qvam primum liqvor albicans conſpectus, vulneris interiora indagaſſe, aut ſaltem orificium ſuperius apertum ſervaſſe. Atq; multa alia qvoq; Magne *Bartholine*, ſuper his diſſerere coram Te volupe eſſet, ſed vereor, ut in publica commoda peccem, qvæ usq; adeo curæ cordiqve eſſe Tibi ex Tuis cognovi, ut etiam inter medios armorum ſtrepitus illuſtria

ſtriá Divini ingenii Tui dederis monumenta. Mirabitur merito hæc & veniens ætas, hancq́; mecum ſpem concipiet: Si bella tot egregia peperere, qvid pax feret, & illa animi nunqvam turbata qvies. Brevi miſſurus ſum, qvæ tardi Reſponſi culpam plenius eluant: Namq́; in promptu ſunt non pauca curioſa, qvibus Te delectari ſcio. Nunc charta atq́; ipſe qvoq́; Tabellarius me monent, calamum ut ſufflaminem: Laudani mei portiunculam habebis, qvamprimum mittendi occaſio fuerit. Teſtari Tibi poſſum, Mi Bartholine, mirabile eſſe medicamentum, qvod omnibus aliis mihi notis magno ſuo merito antefero. Atq́; animus qvoq́; eſt, integrum de ejus vera præparatione uſuq́ve multiplici diſſertationem ad Te perſcribere, qvamprimum per concatenatos praxeos labores licuerit: Videbis in eo ſecreta haud parvi momenti, atq́; inter ea qvoq́; Celeberrimi Chymici *Angeli Salæ*, qvorum qvidem uſum in Myrothecio ſuo deſcribit, præparationem vero occultavit. Supremum Numen nunc oro, ſervet Te ſalvum nobis & incolumem qvam diutiſſimè. Clariſſimis Fratribus & Moenichenio multam ſalutem adſcribo. Tu vero ſalve iterum atq́; iterum Nobiliſſime

biliſſime Bartholine, Tibiq́; perſvaſum habe, me æternum fore.

Celeberrimi Tui Nominis

Devinctiſſimum Cultorem.

Sleswici VII Calend. Jul.
cIↄ Iↄc LXI.

J. Langelott D.

EPIST. XXXVIII.

De chyli nutritione, & lacte in papillis puerorum.

JOELI LANGELOTIO Sleswicum.

NIhil gratius mihi evenire potuit, qvam lectis Tuis literis optatiſſimis, prorſus amico animo calamoq́; ſcriptis. Deo ſit laus, qvi tantum amicum tamq́; charum caput nobis conſervavit. Elegans eſt obſervatio lactea in Barone fuſius à Te deſcripta. Si qvid conjectura aſſeqvor, lacteus thoracicus læſus qvoq́; fuerat, unde larga illa chyloſæ materiæ copia fluxit, atrophia ſubſeqvente. Hinc etiam ſelectiſſimis Balſamicis plus præſtitiſti, qvam qvavis ſectione, qvippe coaluiſſe iſtis tenellas ductus membranas inde ſuſpicamur, qvod repetito

tito chyli curſu naturali habitus corporis floridior appareret. Vulneris tamen apertio utilis fuiſſet, pulmonis in gratiam, in qvo putredinem notatam refers. Non valdè tamen repugnarem tuæ conjecturæ eruditiſſimæ, nempe liqvorem chyloſum toti ad nutritionem deſtinatum, inordinatâ iſtâ via profluxiſſe. Eſt qvippe liquor ille nutritius ubiq; ſangvini mixtus, & pro partium indigentia ad nutritionem elicitur, qvod olim de rore & cambio Medici veteres tradiderunt, neſcij chylum in ſangvine deliteſcere, facileq; ſeparari, ſine putredine, qvemadmodũ in venæ ſectione nonnullorum obſervavimus, lac nempe ſeu chylum à ſangvine ſeparatum in pelvi prodiiſſe. Hoc ſucco nutriri partes noſtras, non ſangvine, ſunt qvi ſibi perſvadeant, qvibus neſcio qvid opponi poſſit qvod ſtringat. Si enim ſangvis in partium alimentum cederet, continua chyli confectione ſeu ciborum ingeſtione opus non eſſet, ſi qvidem ea in corpore eſt ſangvinis copia, ut ad pluſculos menſes ſufficeret pro partium nutritione. At qvia chylo nutrimur, chyli qvoq; continua fit generatio, nec inediam ferre poſſumus. Et tali ſane nutrimento in utero aſſuevimus, non ſangvini, ſi recentiorum obſervationibus & ſuſpicionibus credimus.

Eadem

Eadem ratione lac ſeu candidum ſuccum ex ſangvine arteriarum thoracicarum per glandulas mammarum ſecerni vero ſimili conjecturâ ſuſpicantur alii, donec ſui generis vaſa lactea ad mammas chylum ex meſenterio deferentia detecta fuerint. Dubitandum enim vix eſt, hujusmodi ductus in corpore latere, qvanqvam propria laurus reſervetur inventori, qvisqvis deniqve ille futurus ſit. Qvicqvid ſit lactis ubertate diffluunt papillæ tam feminarum, qvam virginum, imò nuper natorum, ut ex hoc principio nuper accuſatam virginem abſolverimus. Sæpe enim injuria fit famæ innocentium à rerum naturæq; imperitis, qvorum temerarium judicium & Viri & nuper nati infantes utriusq; ſexus damnant, ex qvorum papillis liqvorem lacteum profundi in *Anatome Reformatâ* l. 2. c. 1. docuimus, & pueri Scanici lactiferi exemplo alibi confirmavimus. *Cardani* illuſtris eſt obſervatio in ſubtil. XII. de muliere qvadam ſibi notiſſima puellum enixa, qvi per menſem integrum plurimam lactis copiam turgidis papillulis reddebat, qvo repercutientibus compreſſo, illud vomitu rejectabat. Idem in brutorum genere obſervamus. Ruſtici cujusdam mei pullus eqvinus lac tanta copia profudit, ut pro ipſo alen-

do

do ſatis eſſet. In ovilibus noſtris res notiſſima eſt, freqventi contrectatione papillarum agnellos mulgeri poſſe. Non tamen credo, qvod alii prætendunt, lac qvod infantes ferè omnes tam mares qvam fæminæ ab ortu ad menſem integrum per mammillas reddunt, eſſe maternum. Proprium enim eſt, qvia chylo æqvi hi atq; matres nutriuntur, & argumentum ſuppeditavit *Cardani* exemplum, qvod vomitu rejecerit puer. Et qvanqvam matri primus lactis aſſumpti ortus tribuatur, per certos tamen propriosq; ductus patentes ad papillas lac pervenit, qvos adeſſe certum eſt, qvanqvam ad oculum demonſtrari non poſſint. Ventura dies & diligentia felix Proſectorum cuncta aperiet, ut etiam hoc invento puellarum innocentiæ conſulatur, qvæ virgines eſſe non deſinunt, ſi cætera integræ ſint famæ, qvanqvam ſubinde in ſororiantibus mammillis lac habeant. Eædem qvippe viæ junioribus patulæ eſſe poſſunt, qvibus mulieribus turgeſcentes mammæ dulcibus ſuccis, ut loqvitur *Lactantius* de Opif. Dei c. 12. diſtenduntur, ut ad nutrimenta naſcentis fontibus lactis fœcundum pectus exuberet. Sed longius provehor lactis dulcedine, qvia tecum loqvor, qvem pro dulciſſimo amico habeo. Vale,

ami-

amiciſſime Vir, & valetudine proſpera diu vive in ægrorum, amicorum & Artis emolumentum. Haſniæ X. Jul. cIɔ Iɔc LXI.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPIST. XXXIX.

De Virginis Veſtalis nimio æſtu.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

BInas Tuas literas accepi. Ad prioris propediem Gener meus reſpondebit. Ad alteras qvo ad fœtum gravidum, nil poſſum dicere, qvam ut mirer & admirer. In vegetabilibus qvidem videmus non raro fructus gravidos, aſt in regno animali tale qvid non legiſſe me memini. Miror itaq; & demiror & tuæ enucleationi cuncta permitto. Pro Spicilegio habeo gratias, mitto ἀντίδωρον, ſeqventem obſervationem hiſce diebus Lutetiâ Pariſiorum ad me miſſam. *Veſtalis virtutibus cumulatiſſimæ, trigeſimum ſextum annum agentis, ſingulares morbi, & inaudita vivendi ratio.* Decimo qvinto ætatis ſuæ anno, menſtruis paucis, tardis & dolorificis cœpit purgari, qvæ anno ætatis

tis ſuæ vigeſimo ſuppreſſa ſunt, & ſupervenien-te vomitu, mox ſalſo, tum acri, tum dulci, qvi per duos annos continuavit, aperientibus menſes moventibus & peſſariis ipſam juvare Medici conati ſunt irrito conatu, & à dicta menſtruorum ceſſatione, aut Medicamentorum calidiuſculorum uſu ſuborta eſt Satyriaſis, qva ab eo tempore ad hodiernum diem (ſcil. à 16. annis) & pollutionibus circiter centum ſingulis diebus naturalibus torqvetur; illas ſpaſmus, alienatio mentis & anguſtia prorſus incredibilis concomitantur: qvibus factum eſt, ut ipſa ſibi neceſſariam impoſuerit vivendi ſeqventem legem. A. 16. annis pomis & omni genere malorum paſcitur, aqvam putealem ſimplicem gelu ad ſupremum frigoris gradum reductam potat, dicto gelu ſinum pudoris obdurat, infimumq; ventrem circumvallat. Cum morbus viſus eſt inducias dare, aſſiſtentes Medici vires reficere tentarunt jure carnium, verùm ardor immodicus ſupra dictam vivendi regulam repopoſcit promptiſſimè: talis fuit per 14 annos ægrotantis vivendi modus (ſcil. ab anno ætatis illius vigeſimo ad 34) qvo tempore tantis fuit ardoribus excruciata, ut maximam duorum annorum partem, imò & hyemem rigidam in gelidæ balneo tranſege-

rit, & per 13. dies naturales continuos in illo remanſerit à 29. Julii 1660. ad 11. Aug. à qvo tandem educta notas & caracterem ſuffocati in aqvis, & 13 dierum mora putrefacti referebat. Tenſæ ſiqvidem & turgidæ corporis partes ſupra naturalem ſtatum duplo videbantur, lividæ, putrefactæ, emortuæ & ulceribus freqventiſſimis gangrænoſis eroſæ, qvibus calcanei nervi putrefacti ſunt & deciſi, & in hunc modum cute univerſa defœdata, ulceribus pervia, pure reſtagnante, ardores interni aliqvo modo cohibiti ſunt. Jam vero 20. Januarii 1661 curatis perfectè dictis ulceribus & calore vivido univerſo corpori reſtituto nunqvam male habuiſſe videtur, & lacte ſolo per ſex menſes ad libras circiter decem ſingulis diebus nutrita eſt, & aqva frigidiſſima. Ulcera vero mali moris curata vitellis ovorum & butiro recenti, cum alia topica ferre non poſſet; Durat tamen Satyriaſis, pollutio freqventisſima, & partium internarum calor tantus, ut panno linteo ſolo ſufficienter per hyemem tegatur, & continuo aqva gelida linteis pannis imbutis regionem pubis & pudenda foveat. Veſcitur autem jam lacte non cocto, modico pane, fructibus & aqva gelida. Hæc relatio ut ſimpliciter ſic fideliſſime deſcripta eſt.

Hanc

Hanc obſervationem, Nobiliſſime Dn. Bartholine iisdem verbis deſcripſi, uti mihi illa transmiſſa eſt, ſubmittens eandem tuo doctiſſimo judicio. Ego aliqvot virgines furore uterino correptas, fidei & curæ meæ commiſſas habui, qvibus potiſſimum ſolatium fuit incenſa camphora in aqva aut cereviſia pro potu ordinario exſtincta. Mirum à ſemine retento & corrupto, uteriq; vitio tanta mala poſſe oriri! Non mirum, aliqvando inferebat Ingenioſus Burrhus; qvod nempe ejusmodi furores, epilepſiæ & alia gravia mala non poſſint non oriri ab humorum nimia perfectione putrefacta, qvæ vellicet nervos & ipſorum capita, membranasq; disrumpat uteri; ſi penitius conſideretur virginum illarum vita ſemper fere ſedentaria, cibus & potus optimæ ſubſtantiæ, cœlibatus, ætasq; florida: qvæ ipſa tamen an Pariſienſi applicari commode ſatis poſſint, dubito. Per nimiam autem humorum perfectionem Burrhus intellexit ſemen, ſubtiliſſimam ſangvinis portionem, à cujus vitio plura & difficiliora mala ſeqvi videmus qvàm à ſangvine aut humore viliori putrefacto. Minus nempe in parvis fortuna furit. Aſt finio, atq; epilogi loco mœrorem meum, ut condoleas, ſignifico, qvi tantus eſt, ut major

K 2 vix

vix eſſe poſſet. Sed æqvo animo ferenda à Deo nobis.immiſſa. Ante tres menſes mortua eſt fratris mei medii uxor, ante menſem frater meus minimus, Vir magnarum virtutum D. Gregorius Horſtius; ante dies XX. vero Opt. Max. meus Princeps, cui per annnos XXV. ſervii, prohdolor! obiit. Deus filio hæredi Principi Ludovico (qvem in Aula veſtra è Suecia olim reducem forſan vidiſti, & procul dubio admiratus es) benedicat prolixè, & largiatut vegetam & firmam valetudinem atq; annos Neſtoreos. Princeps literatus eſt, placidus, prudens & maximè pius, nullis vitiis deditus, ſed virtutibus ſerio ſtudens, planeq; ſobrius, ut Deo magnas debeamus gratias pro tanto Patriæ Patre, ſerioq; precemur & oremus pro ejus incolumitate. Hic enim Princeps ſuperſtes unicus eſt & eſſe poteſt Æſculapius ad noſtra vulnera ab obitu Genitoris Pientiſſimi inflicta. Deus ſervet ipſum, faciatq; ut VIVAT VIVAT LUDOVICUS hujus nominis Sextus Haſſiæ Landgrafius. Vale hiſce, & ſi ferat occaſio ſalutem obſervantiſſimam meo nomine nuncia Dn. Comiti Rantzovio, qvi multis beneficiis me gratioſe affecit Francofurti, Swalbaci &hic. ValeDarmſtadii Kal. Julii 1661.

D. J. Horſtius.

EPIST.

EPIST. XXXX.

De Victu Virginis refrigerante, inprimis Nive. De abſceſſu oſſis ſacri & tuberculo.

Joh. Dan. Horstio Darmſtadium.

AD binas tuas literas jam tandem breviter reſpondeo. Transmiſſus caſus Virginis æſtuantis mirus eſt, nec de ejus veritate dubito, gaudeoq; nivis noſtræ efficaciam & vim hujusmodi hiſtoriis augeri & illuſtrari. Nullus dubito plus in nivibus noſtris intus latere, qvam prima fronte appareat. Tibi interim gratias ago ampliſſimas, qvod his ſimilibusq; obſervationibus me reddas participem. Miſit ad me eandem hiſtoriam iisdem verbis Lutetiâ *Samuel Sorberius*, amicus olim meus in Belgio, poſtea variis editis ſcriptis clariſſimus. Ex menſium ſuppreſſione & nimia ſed neceſſaria Veſtalium continentia tantum in corpore per ſe calido æſtum accenſum eſſe ſuſpicari licet, qvem optimè victu refrigerante temperavit. Lac enim refrigerare teſtis eſt *Galenus* l. 4. ſimpl. Med. Fac. c. 15. Illud præſertim qvod plus ſeri habet, ut aſininum & caprinum, *idem* l. 3. de ſimpl. Al. m. Fac. quibus an uſa ſit hæc Virgo, non indicat hiſtoria transmiſſa. Qvodcunq; verò ac in febribus longis & parvis concedit *Hippocrates* 5.

Aph. 64. qvæ febres huic Veſtalis æſtui comparari poſſunt. Simili forſan calore Philinus fervebat, qvem narrat *Athenæus* l. 2. toto vitæ curſu, nec cibo nec potu alio, qvam lacte uſum. Fructus plerosq; horarios & refrigerare & humectare, nemo ignorat. At gelida potio niveq; refrigerata æſtuantem ventriculi ardorem optimè reſtinguit. Ut etiam in luxum tranſierit. Ita enim *Martialis*:

Non potare nivem, ſed aqvam potare rigentem,
De nive, commenta eſt ingenioſa ſitis.

Qva ratione omnem adhuc potum refrigerant Itali, Siculiq; magno æſtus interni externiq; commodo. De nivis præſtantia pluribus egimus in *Obſ. Med. de Nivis uſu in Medicina.* Externus verò ejus uſus huic benè ceſſit propter caloris exſuperantiam, qvæ mitigari potuit, neutiqvam prorſus vel repelli vel extingui. At Amurathus III. Imperator Byzantinus referente *Thuano*, vitâ functus eſt, cum glaciem carboni impoſuiſſet. Apud *Hechſtetterum* qvoqve qvidam podagricus intemperiem frigidam renum contraxerat ex marmore nive frigefacto regioni rerum applicato. Itaq; cum duo faciunt idem, idem non eſt. Domeſtico tuo luctu vehementer afficior, in primis qvod Fra-

trem juniorem Excellentiſſimum Gregorium amiſeris, Virum paternarum virtutum & magnæ eruditionis, ſicut ex opere b. m. Parentis veſtri perſpexi, qvod uterq; egregie illuſtraſtis. Deus tantorum Virorũ interitum porrò avertat. Pauci enim reſurgunt, qvi decus literarum & ſcientiarum tanta cum laude ſuſtineant. Pro transmiſſis in ultimo epiſtolio pagellis eruditiſſimis Clariſſimi Tui Generis *Strausſii* multum Tibi debeo, vel eo nomine qvod meas ad Te literas Reſponſorias de fœtu Muſſipontano ibidem publicè legi volueris. De Cathedra illi Tibiq; gratulor, & ut diu publico tecum interſit, ex animo opto. Niſi grave ſit, laudatum Generum tuum meo nomine ſalutabis, cum prompta officiorum oblatione, qvæ Tibi tuæq; familiæ ſplendidiſſimæ debeo. *Meyſſonnierius*, de qvo qværis, mihi in Gallia notus fuit. Magno ingenio pollet, nec minore eruditione. Chymica præ cæteris ſtudia excolit, & novarum obſervationum inſignis eſt ſectator. De Febribus qvæ commentatus aliàs eſt, ingenioſa ſunt. Extat erudita ejusdem Epiſtola ad *Beverovicium*, magnum olim amicum meum, in libro de Calculo. Alia qvoq; Gallica dialecto edidit, qvæ in Galliis proſtant. De Pulvere ſympathetico, de Vino, deq; aliis curioſa non

K 4 ſa non

ſa non pauca in lucem emiſit. Elemneta ejus Medicinæ nervoſa tãdem qvoq; ad manus meas pervenerunt, Lugduni Gallorum edita, ubi etiam Lymphatica noſtra vaſa locum invenere ſatis honeſtum. Muſæ noſtræ poſt belli funeſti turbas necdum ſpiritum receperunt. Nec in Medica praxi occurrit tua lectione dignum. Hiſce tamen diebus infans mihi oblatus, filius Coriarii Hafnienſis in vico Coriariorum, qvi à primo nativitatis die in oſſis ſacri regione tuberculum geſtat, qvod jam bimulo ita excrevit, ut inceſſus ex tanto pondere difficilis ſit. Figura globoſa eſt, capitis magnitudinem æqvans, colore transparente qvaſi aqva plenum. Exſcindere auſus non ſum propter vaſtam molem. Videtur præterea abſceſſus oſſis ſacri, qvi cum nervis alát commercium. Eodem ſtigmate & alium infantem mater eadem peperit, qvod imputat injuriis obſidionis nuperæ, crebris enim tormentorum bombis auditis, viſisq; globulis ignitis per urbem obſeſſam volitantibus territam ſe, ſimiles globulos infantibus ſuis impreſſiſſe qveritur. Tanta creditur vis imaginationis apud ſexum infirmitate laborantem. De qva plura noviſti, qvam dici poteſt. Pauca hæc celerrimo calamo exaravi, ne neglecti officii culpa apud Te, tantum amicum,

cum, tenerer. Abiit ad beatos *Bangius* noſter, Polihiſtor Clariſſimus, Theologus & Bibliothecæ publicæ Præfectus. Deus Te diu ſervet,ut porro nos ames. Hafn. 26. Febr. clↄ Iↄc lxii.

T. T.
Th. Bartholinus

EPIST. XLI.

De Citrio prægnante.

Thomæ Bartholino Hafniam.

INtegrum jam eſt ſeptennium & qvod excurrit cum primum Te Celeberrime Bartholine videre & coram alloqvi mihi contigit. Interea Tu freqvens mihi non in animo ſolum ſed & apud amicos candidos in ſermonibus. Humanitatem tuam inprimis, ut cum Varrone loqvar ubiq; ruminatus ſum. Aliqvoties etiam interea temporis qvæſivi occaſionem mei memoriam T. Ex. refricandi, ſed cum illa ſe hactenus non offerret, tandem his noſtris nundinis æſtivalibus à bibliopola accepi centuriam qvintam & ſextam tuarum obſervationum rararum, qvas dum avide ſtatim evolvo titulus Cent. VI. ultimæ hiſtoriæ de embryone

K 5 præg-

prægnante mihi revocat in memoriam propoſitum Viri qvondam Excell. atq; Experientiſſimi Don. Doct. Johannis Schoneri Hoſpitis tum temporis & Præceptoris mei dilectiſſimi. Is enim rariora aliqvot collegerat qvæ T. Exc. decreverat transmittere, ut tuis elegantiſſimis obſervationibus inſerta publica ſimul luce fruerentur; Sine dubio etiam feciſſet niſi morte fuiſſet præventus. Inter alia verò potiſſimum memini me apud ipſum videre *malum citrium prægnans* ut ipſe qvidem illud appellabat, ſed qvod tum jam plane exſuccum erat & aridum. Ajebat verò, pomum illud fuiſſe juſtæ magnitudinis, cum vero diſſecuiſſet, in meditullio qvaſi in cellula aliqva inveniſſe minorem ejusdem arboris fructum, ſuo etiam peculiari cortice veſtitum, & plane à priori alium ita ut majoris iſtius qvaſi fœtus appareret. Et præter hæc alia qvoq; ſe habere dixit, qvorum tamen nihil, qvantum mihi qvidem compertum eſt, literis conſignavit. Ego qvidem cum adhuc in ipſius ædibus commorarer vidi in charta conſignatas Obſervationes aliqvot in morbis rariores, verum illæ Auctorem agnoſcebanr D. Jacobum Seidelium Medicinæ qvondam Profeſſorem in Academia Gryphiswaldenſi primarium, eas

ego

ego tum temporis cum non adeo protritæ mihi viderentur, qvo melius conſulerem memoriæ in mea excerpta digeſſi qvas Tibi Vir Excell. ſi operæ pretium judicaveris qvam lubentiſſime transmittam, & jam ſponte id feciſſem, niſi dum ego in aliis occuparer, abitum maturaſſet nauta. Ut tamen aliqvo modo de iis judicare poſſis, en Tibi in charta titulos.

Hac verò occaſione habeas à me diſputationem meam inauguralem, feſtinanti calamo ante annum à me conſcriptam. Si perlegere vacat liberrime vel caſtiga, vel emenda. Gratiſſima mihi erit optimi Præceptoris cenſura. Vale plurimum noſtræ artis imo totius Reip. literariæ ſingulare & perpetuum ornamentum. Et ſi meretur ama.

T. Exc.

Stralſundii ipſis Kal. Jul. A. cIↄ Iↄc LXI.

cultorem obſervantiſſ.

Chriſtianum Willichium
Med. Lic.

EPIST.

EPIST. XLII.

De ſede febrium malignarum ex Anatome defunctorum.

CHRISTIANO WILLICHIO Stralſundium.

PErgrata eſt veteris amicitiæ memoria, qvam gratiſſimis tuis literis mihi refricas. Benè Te ex illo tempore valuiſſe gaudeo, inprimis gratulor Tibi honores in Arte noſtra ſummos, dudum meritos, & porrò fauſta apprecor. Lecta Tua de Febribus malignis Diſputatio apprimè placuit, erudita ſanè & accurata. Sed à Theſi XI. diverſum ſentio, credoq; *Helmontio* ſedem malignarum febrium in ventriculo eſſe. Id teſtatur Anatome illorum, qvi eo morbo extincti fuerunt. Obſervatus enim eſt ventriculus cum inteſtinis inflammatus. Unde ingens illa ſitis, vomitus, faucium ardor & alia apparentia oriuntur. Ex hujusmodi profectò ſectionibus & oculari demonſtratione certius de ſede affecta judicamus, qvam rationibus & conjecturis. Si meæ experientiæ non ſatis ſidas, aliorum obſervationibus me contra Te tuebor. Reperio in ſchedis Parentis mei, cœlitibus dudum adſcripti, *Caſpari Bartholini* in Anatome mulieris ſexagenariæ febre maligna cum vomitu bilioſo

lioſo extinctæ, obſervatam eſſe ventriculi tunicam interiorem inflammatam, inteſtinum verò ileum in medio gangrænoſum & putridum, partemq; ejus ſupra gangrænam illi inflammatam intus in tunica interiore, ut ſupra modum venæ meſeraicæ turgerent. Non abſimilia vidit in diſſectis febricitantibus *Spigelius* l. 1. de ſemitertiana c. 16. Romæ infiniti ægroti A. 1649. febre continua occubuere. In qvorum ſectis cadaveribus ventriculus, & reliqva viſcera tanqvam exuſta apparebant, teſte *Panarolo* Pentec. 4. Obſ. 8. qvare refrigerio & humectatione poſtea multos ſanatos ſcribit. In febre peſtilentiali circa os ſtomachi eſcharam oblongam advertit *Helmontius* in Tumul. Peſt. p. m. 85. & 22. Chirurgus Arenacenſis cadaver peſte cum vomitu emortuum diſſecuiſſe narratur à *Diemerbroecbio* l. 4. de Peſt. Hiſt. 15. & reperiſſe in ventriculo à latere orificii ſuperioris locum qvendam longiuſculum, circiter magnitudinis articuli pollicis, qvi nigricabat inſtar carbunculi. Has autem eſcharas ab inflammatione & magno æſtu febrili ortas certum eſt. Nolo alia exempla recenſere in re apud me confeſſa. De malo Citrio prægnante qvæ narras, etiam mihi ſunt obſervata. Vidi enim Limonium prægnans hic Hafniæ & alibi.

alibi. Imò ovum cui aliud ovum incluſum in Muſæo Sereniſſimi Regis noſtri aſſervatur. Qvæ meditatus fuerat Excellentiſſimus D. *Schönerus*, cujus obitum lugeo, libenter vidiſſem. Ea qvæ ex Schedis *Seidelii* notaſti, digna ſunt memoriæ poſterorum; ſi vacat, transmitte, ut publico donentur. Ne vacuæ ad Te redeant literæ, adjungo Apologiam diſcipuli mei *Stephani*. Vale, mi Willichi, & me ama. Hafn. 29. Jul. cIↄ Iↄc LXI.

T. T.
Th. Bartholinus.

EPIST. XLIII.

Examen Diſputationis Stenonianæ de inventione Ductus ſalivalis exterioris.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam,
GERARD. LEON. BLASIUS. S.P.D.

QVæ non occurrunt indies? qvæ non obveniunt? nil tale cogitanti mihi bellum à diſcipulo qvondam meo Nicolao Stenonis indicitur. Offertur die alterâ ab actu diſceptationis Diſputatio *de glandulis oris & nuper obſervatis inde prodeuntibus vaſis*, Diſputatio ab ipſo conſcripta, Tuo nomini inſcripta, in qva varia

varia à ſe obſervata proponit & declarat, egregia ſanè, & qvæ non parum lucis arti noſtræ afferre poterunt, modò in iis tradendis humanitatis, fidelitatis, veritatis limites non transſcendiſſet. Sed ecce qvæ mihi meæq; induſtriæ unicè deberi certus etiam ipſe, cùm planè ejus rei ignarus id à me didicerit, qvod aliqvo tempore ante docueram alios, ſibi tribuit, plus honoris ſibi acceſſurum ratus, ſi ſtylo me meaq; laceſſere aggrediatur. Audaci, inverecundo, qvæ non licentia? an unqvam tale qvid merui ego qvi facilitate animi deceptus majoris ipſum feci, qvam feciſſe ipſum debuiſſe eventus docuit. Qvod ſi candidè mecum egiſſet, rem ipſam ſine ullis convitiis ac calumniis debuiſſet proponere, ut id ageret, pauciſſimos ante dies à meipſo monitus, ne deſerto nucleo putamina manducare videremur. Jàm verò & datæ fidei, & beneficiorum acceptorum, & amoris in præceptorem omni modo immemor, veritate in totum poſthabitâ, ita calumniis maledictisq; me proſcindere aggreſſus eſt ut non videam, qvi modi alii, honores boni viri imminuendi, alteriusq; ex ruinâ gloriam qværendi excogitari poſſint, præter eos qvos adhibet. Pauciſſimis negotium totum (occupationes enim non meæ ſolum, verùm & Tuæ, innumeræ,

meræ, prolixum me nunc eſſe vetant)ut putamus, certiq; nobis perſvademus jam à Domino Stenonis (ſi ſincerè) delatum, aperiemus plenius.

Annus eſt, & qvod excurrit, cum hoſpitio exciperem litteris Tuis commendatitiis inſtructum Dn. Nicol. Stenonis, occupabar eodem tempore demonſtrationibus anatomicis privatis, qvibus brevi finem imponebam, *ſextâ ab adventu ipſius die* an *id factum* ignoro, res tanti noneſt, nec ullo modo Dno. Stenonis aliqvid ſperare datur, ſuffecerit tantum temporis, imo plus, interceſſiſſe, qvantum Cerebri & qvæ eo ſpectant aurium, oculorumvè examen, qvod mihi Veslingii mei ductum ſeqventi ordinariò ultimum locum tenet, reqvirit. Diſſectionibus Cerebri, Oculorum, auriumqve qvantâ fieri potuit diligentiâ peractis, coronidis loco, Vaſorum Salivalium ſuperficialem demonſtrationem ſubjungebam, tempus qvod accuratam, omnibusq; numeris perfectam demonſtrationem nullo modo permitteret, talis enim plerorumq; noſtrorum ex vitâ ſcolaſticâ ad liberiorem promotorum, natura eſt, ut etiam qvam optima ſpernant, ſi qvidem tempore alio qvam qvô ad diſcendum obſtrictos ſe eſſe norunt, proponantur, ſatis ſe ſuo officio fun-

functos æſtimantes, ſi conſtitutam horulam aliqvali attentione (debitam enim, qvod dolendum, non eſt, qvod nobis promittamus,) conſumant. Videns hæc noſter Stenonis ea qvæ ita per nebulam qvaſi obſervarat, in alio, ſpeciatim ad id comparato, capite, accuratius ipſi, ſoli, demonſtrarem, rogabat, petitioni illicò ſatis feci, adeoq; non ſolùm ad buccas egreſſum, verùm & ad poſteriora propagationem qvantum qvidèm fieri ſubjecti conditio permittebat, evidenter ipſi exhibui humoris contenti, vaſisq; in eo ſubjecto, viſcoſitatem & magnitudinem curiosè annotanda monens; & cur pleniorem demonſtrationem ipſi negarem, verè enim Diſput. Theſi XIIX. calumniandi licet animo, teſtatur, *rem facilis eſſe indaginis, eò qvod obvia ſatis ſint vaſa, non minus qvod ſuperius dicitur, qvam qvod inferius, brevia, denſa, rupturæq; minus ac alia* (lymphatica intelligo) *obnoxia.* Qvod ſi facilis adeò res ei qvi nunqvam vidit, unde difficultas ipſi, qvi jam ſæpius aliis demonſtravit. Hæc tum temporis peragebantur, uterq; ab opere deſiſtebat, ego qvidèm, qvod exercitiis chymicis pro collegio privato, cui & ipſe & Dominus Chriſtianus Rudnicius intererant, ante fœrias caniculares abſolvendo, horas meas imò ferè dies no-

 ctesq;

ctesq; impendere cogerer; (famulo enim inſtructus haud eram) tum qvod animus creberrimis ſectionibus cadaverum jam ſaturatus, novas reſpueret, ne qvid de lectionibus publicis, praxi medicâ, aliisq; occupationibus Dno. Stenonis ſatis cognitis dicam; tum etiam qvod jàm ante menſes aliqvot, accuratè ſatis in naturam utriusq; ductus, qvorum qvi ſuperiorem maxillam accedit, nil minus qvam de præſentiâ ejusdem cogitanti occurrebat, inqviſiviſſem, liceteam cognitam mihi ullo modo audacter neget Dns. Stenonis, qvo fundamento, & qvâ veritate mox videbimus. Diſcedebat Lugdunum Batavorum Dns. Stenonis de Invento novo ductu ſalivali altum ipſi ſilentium, continuatæ à me pivatis in collegiis ejus demonſtrationes, Tandèm hyeme præcedenti, poſtqvam in noſocomio Leidenſi ductum hunc privati collegii Sylviani membris oſtendiſſet, publica anatome corporis humani in Theatro anatomico inſtituebatur, hìc occaſionem commodam aſſecutus Vir Cl. Dns. Joan. van Horne, eundem ductum Stenonis ut inventum ſpectatoribus exhibendi, ejusve nomine inſigniundi. Qvæ ubi ad me deferuntur, admirationem incredibilem cauſant, qvis enim à Diſcipulo, qvem beneficiis variis ita mihi obſtrictum

reddi-

reddideram Tui unicè in gratiam, talia exſpectaret? Illicò litteris ad fratrem meum datis Cl. Dnis. Profeſſoribus Acad. Lugd. B. mox in præfatione ad medicinam meam generalem, omnibus, qvid ad ductus hujus divulgationem contulerit, patefacio, ut (exigente id occaſione, cum aliàs tanti ea non feciſſem) & mea mihi vindicarem, & qvam ægre ferat generoſus animus iniqvitatem, oſtenderem. Anſam hæc res dabat altercationibus privatis per litteras inſtitutis, negabat ille ductus illius à me factam demonſtrationem, ego aſſerebam. Res ſic in ſuſpenſo detinebatur, usq; dum Diſputationem dictam, Præſide Cl. Hornio, amico meo, ut putabam, nunc verò non experior, publico examini commiſit. Perpende qvæsò mi Bartholine, qvæ in eâ contrà me proponat, perpende qvæ regero, & qvam malitiosè mecum agat, videbis.

Theſi VI. *judicio Tuo & Sylvii obtemperare ſe ſcribit*, abſit ullo modo ſuſpectus mihi fiat Tuus candor, qvaſi verò malevole ejusmodi actionis autor aut inſtigator fuiſſes, novi ingenium Tuum ſincerum, imò qvandoqvidem non niſi à ſolo Domino Stenonis inventio illius ductus Tibi detecta fuerit, qvi potuiſti aliter, qvam ut induſtriam ejus ſingularem extolleres,

 deli-

delineationemq; ac deſcriptionem ab ipſo flagitares. Sed qvid fit? Tarditatem ſuam in divulgatione Inventi hujus ut excuſet, Medicinam meam generalem cauſam prætendit; meam dico, nullum enim novi Blaſium, qvi talem unqvam ſcripſerit, qvi etiam Hoſpes & Præceptor fuerit Dni. Stenonis, aliàs meam eſſe negarem ſi qvidem ad nomen authoris reſpicerem, is enim Joannes dicitur, & qvidem non ſemel, ſi Typographus accuſetur, cùm tamen in frontiſpicio libri, cujus caſtigationem aggreſſus eſt Gerardi mentio ingentis ſatis magnitudinis litteris facta fuerit. Qvid exſpectandum putes ab eo, qvi ne nomine qvidem dignatur eum, cujus verba examinanda aſſumit, cùm tamen præceptor dilectus audiat. O malitioſum animum!

Hoc meo *de Medicinâ generali tractatu ductus iſtius* ab ipſo *mihi jam ante demonſtrati* (præſupponit probanda) *mentionem fieri obſervans præoccupatum* ſibi ex parte laborem illum putabat. At qvæ ratio conceptæ hujus opinionis? *Credideram* inqvit *illum in ipſo opere novâ accuratâq;, ut ait, methodo deſcripto, rem cujus inventorem ſe in limine profitetur, qvamq; præter vix novi qvicqvam in libro iſto contineri ipſe teſtatur, accuratâ deſcriptione perſecuturum: Maximè cum*

non

non modò commoda ſe ibi offerret, ſed ſuſcepta partium corporis delineatio id qvâdam neceſſitate poſtulare videretur. Lege, ſi placet, qvæ habentur præfatione ad Lectorem Medicinæ iſti præmiſſâ, & qvâ mente eam conſcripſerim patebit. Partium corporis delineationem me ſuſcepiſſe falſum eſſe, qvis non videt? in genaralibus occupabar, ea itaq; non niſi generaliter proponere volui, imò debui, ne vitium qvod in aliis reprehendo, ipſe incurrerem, haud ergò neceſſitas poſtulabat ſpeciatim magis de hoc ductu agere, qvam qvidem de omnibus aliis corporis partibus? qvæ hic occaſio commoda? generalibus ſpecialia miſcere haud ita conveniens, imò contra leges bonæ methodi eſſe cenſemus. Qvid cauſæ cur magis accuratâ deſcriptione ductum Salivalem in hoc meo generali tractatu perſeqverer, qvam Wirſungianus Thoracicum, Lymphaticos, ſimilesq; plurimos in aliis corporis partibus ſe exhibentes? vel Stultus hæc intelligeret. Fateor in limine operis mei confiteri me præter ductum huncce ſalivalem vix qvicqvam novi in eodem contineri, qvid hæc ad rem qvam ipſe agitat? nihil volunt, niſi, ideò qvia novum qvid, debuiſſe accuratè à nobis hoc loco deſcribi, qvod negamus, & nobiſcum negabunt omnes cor-

 datio-

datiores intentum noſtrum in conſcribendo eo opere ritè conſiderantes. Nec tamen qvia novi nil præter dictum ductum eo continetur, (qvod tamen in præfatione minimè dicimus) novum vocari qvin poſſit, non video qvid inhibeat, ſuffecerit methodum novam eſſe, qvæ qvid conferat ad artis notitiam pleniorem ſatis notum.

Sed ad rem! Inventionis laudem qvo mihi derogare, ſibiq; conciliare qveat duo hæc Theſi VII. XV. & XVI. maximè crepat. Primum eſt me *ductui tam brevi, tam manifeſto verum ortum, nec egreſſum verum aſſignare potuiſſe.* Secundum *ipſam è qvo tam eleganti copioſiſſimorum rivulorum confluxu prodit glandulam uſui ignobili deſtinaſſe.* Prioris ad probationem conferre cenſet verba qvæ Medicinæ meæ pag. 63. habentur. *Saliva eſt humor &c. ex ſero maximè conſtans, caloris ope à maſſâ ſangvineâ in glandulis maxillaribus ſegregato, & hinc per ductum ſalivalem in maxillâ ſuperiori æq; ac inferiori notabilem ad glandulas oris anteriores delato, ut inde motu lingvæ expreſſus, inſerviat guſtationi &c.* Imò & qvæ habentur pag. 23. ubi glandulæ maxillares ſic deſcribuntur. *Maxillares glandulæ tam qvæ externæ in mediâ ferè longitudine maxillæ inferioris ſitæ, qvam qvæ internæ, à parotidibus uſq; ad mentum ſeſe variâ magnitudinis colorisq; ſpecie exhiben-*

hibentes ductu ſingulari ab uſu Salivalis dicto gaudentes &c. Certè qvod ſi is (verbis propriis utar) accuratius verba hæc examinaſſet, vidiſſet facile æq; mihi ac ipſi ductus hujus ortum atq; egreſſum cognita eſſe. Me miſerum, cui diſtinctio illa glandularum à Dn. Sylvio introducta, in conglobatas & conglomeratas ignota fuit, cum hæc ſcriberem! video me eò qvod non intelligam noviter inventos eos terminos, etiam rei ipſius ignarum dici. Certè tanti diviſio illa Sylviana mihi non eſt, nec fuiſſet, licet vel maximè ad aures perveniſſet, ut ideò à communiori loqvendi ratione deſiſterem. Conglomeratas illas parotides Stenonianas à qvibus originem vas hocce ſumere verè tradit, qvâ ratione à maxillaribus internis, de qvibus pag. 23. egi, diſtingvere valeat Dns. Stenonis, avidè ſcirem. Unicuiq; examen glandularum maxillariũ commendo, & nihil omninò diverſitatis inter maxillares internas & Conglomeratas parotides reperiet. Ad qvid qvæſo copia ea nominum? Qvid fructus exinde ſperare licet? nunqvid inter Maxillares, Tonſillas & parotides veras diſtinctionem inſtituiſſe ſat eſt? Cum itaq; ductum ſalivalem ſuperiorem originem ſuam æq; ac interiorem ex maxillaribus internis ſumere conſtat, licet haud præcisè ex

uno loco, qvod neceſſe minimè fuit, qvid cauſæ Dn. Stenonis notitiam veri ortus ejusdem mihi derogare? Sanè nulla alia, niſi qvod glandulam eam pro maxillari habeam, qvum ille nomine novo parotidem conglomeratam appellat. Non nego id nominis ipſi tribui poſſe, hoc ſaltèm volo, eos qvibus diſtinctio ea glandularum in conglobatas & conglomeratas minùs nota, ut mihi aliisq; hactenus fuit, accuſari nullâ ratione poſſe, qvaſi vitium aliqvod commiſerint maxillarem internam cum Stenonianâ parotide conglomeratâ unam eandemq; glandulam pronunciando; Si ita procedere liceret, & unum qvid in duas tresve partes dividere, ſaltèm qvo novi qvid introduxiſſe, novamq; ab alterius contrariam ſententiam fovere videamur, qvot non nomina excogitare daretur; Si aliqvalis loci diverſitas, & diverſitatem parti (non conſideratâ ſubſtantiâ) conciliaret, etiam ipſa interna maxillaris à parotide conglomeratâ Stenonianâ diſtincta varia nomina aſſumeret, varias enim in partes omninò à ſe invicem loco diſtinctas dividi anatome docet. Nec eſt, qvod colorem diverſum nobis opponat, monuimus enim p. 24. verbis ſeqventibus qvæ adverſarius omiſit, coloris diverſi eſſe glandulas haſce, ad qvæ verba

verba qvod ſi æq; ac alia attendiſſet, non intelligere me glandularum maxillarium internarum nomine eas ſolas, qvas ipſe cum Warthono ex qvo hæc deſcripſiſſe me falsò garrit, ſic appellat, verùm & eas qvas ab ipſo parotides conglomeratas appellari audio, in prioribus enim abſolutè & in ſe conſideratis non video qvomodo diverſitas hæc coloris admitti poſſit, qvæ tamen notabilis ſatis ſi conferantur cum poſterioribus. Illa enim ad albedinem, hæc ad rubedinem magis vergunt. Qvod ſi malitiosè mecum agendi animus Dn. Stenonis non fuiſſet, nunqvam ea ex verbis meis elicere ſtuduiſſet, qvæ iis contineri in æternum non probabit. *Cum ab internis*, inqvit, maxillares intellige, *internum ductum procedere Warthonus, & poſt eum van Horne oſtenderint, ab externis exterioris origo ſecundum eum deducenda. Certè ſi accuratius Warthoni verba unde deſcriptionem hanc deſumpſit, examinaſſet, vidiſſet facile tanto ductui illas nullâ proportione reſpondere. Sic enim ille cap. 21. eas delineat. Maxillares externæ exiguæ admodum ſunt, & minoris momenti, ſitæ ſunt exterius in mediâ ferè longitudine maxillæ inferioris.* Secundum Warthonum & Hornium à maxillari internâ deducitur (& verè) origo ductus interni, ergo externi ab externâ

 ſecun-

ſecundum Blaſium deducenda, qvæ qvæſo conſeqventiæ hujus ratio? qvæ neceſſitas? qvæ probatio? qvaſi verò Warthoni & Hornii mancipium me conſtituerem, abſit à viro liberali. Valemus & nos Dei gratia æq; viribus, pollemus viſu, ac illi cum adverſario ipſo, non minùs mihi natura patet ac iis. Maxillares externas exiguas eſſe & minoris momenti adeoq; tanto ductui proportione nullâ reſpondentes facilis ipſi do, ne qvidem cogitavi unqvam de origine hujus ductus externi ex his externis glandulis, qvod cuivis caput ſolum xij, cujus verba mutilatè hic citat, perpendenti clarum evadet. Qvis non videt verba priora: *tam externæ, in mediâ ferè longitudine maxillæ inferioris ſitæ* omni modo diſtincta eſſe ab inſeqventibus: *qvàm qvæ internæ à parotidibus usq; ad mentum ſeſe variâ magnitudinis colorisq; ſpecie exhibentes, ductu ſingulari ab uſu ſalivali dicto gaudentes.* In primis de externis, in ſecundis de internis agitur.

Admovi inqviſitioni manum, imò qvàm ſæpiſſime, *& qvâ veritate dixerim utrumq; ductum ſalivalem ex glandulis maxillaribus originem ſumere, facile inveni.* Diſſectionibus anatomicis omni tempore pro collegiis anatomicis privatis occupatus, qvi potui omittere, ut non in

ea

ea qvæ primus omnium orbi indicaveram, inqvirerem, adeoq; nomen meum tuerer, maximè cùm detrahere me, qvem Dei Opt. Max. auxilio emergere vident altius, plurimi allaborant. Stat ſententia prior, nec eam deſerere animus eſt, priusqvam oculis meis contrarium exhibeatur, qvòd nec dum à Dn. Stenonis factum video, vide qvid habeatur Diſputationis meæ de Triplici coctione primæ Theſi X. *Saliva naturam*, dicimus, *generandiq; modùm ſimiliter ut aliorum humorum ſeqventia exhibebunt, in qvantum qvidem ea cognoſcere datur. Obiter ſaltem hic notandum, ejus nomine nobis hoc loco lympham eam ſolam venire, qvæ à ſangvine, per arterias adducto, in glandulis maxillaribus, maxime iis qvæ poſteriores ſunt parotidibus vicinæ, ſingulari modo ſegregatur, & hinc per ductus huic uſui ſpeciatim inſervientes, ſalivales ob id vocatos, qvorum unus ad maxillæ ſuperioris latus excurrit, alter ad inferioris extremitatem, circa menti interiora, ad latus frænuli lingvæ, ſpontè qvidem, nobis non advertentibus, at maximè lingvæ partiumq; vicinarum preſſione non ſolùm, licet præcipuè, per foramen, qvo in ſui extremo notabili, papillari qvâdam extuberantiâ prædito, pollent, verùm & per omnia ea inconſpicua magis, qvibus ab iisdem, maximè inferiori,* prove-

provenientes propagines plurimæ gaudent , *in oris capacitatem defertur*. Habita hæc eodem die, qvi VIII. Julii, qvo caſtigatoria Dn. Stenonis, cùm ne qvidem videram Stenonianam, ne ex eâ mea hæc deſumpta æſtimetis. Teſtor Deum me hic ſincere agere.

Hæc ſunt, ut vides, qvæ ad probationem ejus: *ignorare* ſcil. *me verum ortum vaſorum ſalivalium* adducere voluit. At nec dum ſufficiunt validiſſima ea argumenta, ſuperpondii loco adhuc unum addit omnium præcipuum. Metus ipſi erat, me vel qvi partes meas aſſumat, effugium aliqvod qvæſituros, adeoq; *maxillarium externarum numero ſalivales exteriores* (ita jam nominare ipſi lubet parotides ſuas conglomeratas) *adſcripturos*, at certè non eſt qvod hæc metuat adverſarius, haud adeò anatomes ignarum me æſtimet, qvi non viderim diverſitatem ingentem ſatis eſſe inter externas maxillares glandulas, & eas qvas conglomeratas parotides dicit, ne de colore qvid dicam, & magnitudo & locus maximè eas diſtingunt. Non opus fuiſſet Dn. Stenonis chartæ temporisq; multùm conſumpſiſſet in hoc (maxillaribus ſcil. externis ſalivales exteriores neutiqvam à me adſcriptos eſſe) probando; imò tacuiſſe profuiſſet, ſic enim animi malitioſi

indicia

indicia haud ita cumulaſſet. *Ne hâc ratione poſſet excuſari* inqvit, *ipſe ſeqventi capite egregiè cavit, ubi eas à prioribus diſtinctas parotidum nomine deſcribit.* Egregiam verò laudem, & ſpolia ampla retulit. Qvis ipſi dixit, me ſalivales exteriores parotidum nomine deſcribere. Infelix puer atq; impar congreſſus Achilli! nil minus cap. 13. agimus, qvam qvod parotides deſcribamus eas qvas ipſe cum Vulgo, etiam ipſo Warthono parotides dicit, & qvo novi qvid in orbem introduxiſſe ex ore præceptoris ſui Sylvii videretur, conglomeratas vocat. Diſtinctas ab hiſce glandulas parotides veras habemus, uſui ſatis nobili dicatas, conglobatas ipſe vocat. Duriores hæ maxillaribus veris, imò viſcidiores, nunqvam non humorem dulcem, albicantem, copioſè continentes, & ubi diſſecantur exhibentes.

Nec eſt qvod dicat, circa radicem auriculæ externæ locum hanc minimè habere, multò minus auriculam externam totam cingere, qvod cap. 13. ubi de parotidibus agitur, deſideramus, qvam enim ſano ſenſu hæc verba ſumi debeant, qvis ignorat? An hæc in parotide Conglomeratâ erunt ſecundum litteram accipienda? Non ſane, cum nec hæc totam auriculam cingat, intelligenda tantum veniunt de infe-

inferiori auriculæ parte, ita tamẽ ut rudimenta qvædem aurem cingant. De nominibus diſceptare qvod ſi collibitum aut conveniens, ne qvidem iis qvas maxillares vocat Warthonus & cum ipſo Stenonis, ſecundum omnes partes tales ſunt, utpotè qvæ magis ad collum qvam maxillas ſitæ Collares maximâ ex parta dici convenientius poſſent. Imò conſiderentur parotides conglomeratæ, annon maxillis æq; imò magis ſubſtratæ ſunt, cornubus oſſis hyoidis appoſitæ qvam qvidem maxillares internæ. Sed hæc & ſimilia; utpotè magis critica meritò relinqvimus.

Probato ſic, ut ſibi perſvadebat, eo; ductus ſalivalis exterioris originem me latere, & *inſertionem malâ fide me proponere*, probare conatur. At qvo fundamento? nugatoria ſanè tantoq; anatomico indigno. *In re* adeò exigua (verbis ipſius utar) tam parũ ſibi conſtare magnopere miror. *Si unqvã perforamen in egreſſu conſpicuum* vel in brutis *vel in homine ſtylum in ductum immiſiſſem, longè aliter me de inſertione ductus hujus ſcripſiſſe, qvam qvidem feci*, cenſet. Hæc ſi vera, falſiſſima qvæ in præcedentibus plenis buccis clamitat. Qvod ſi *ab ipſo ductus iſte jam antè demonſtratus*, ut habetur Theſi VI. imò *ſemel atq; iterùm demonſtratus*, ut Theſi VII. &

con-

confirmatur Theſi XIII. qvi poſſibile me nunqvam ſtylum in ductum dictum immiſiſſe? Mendacem memorem eſſe oportet. Sed hoc cavillatoribus commune vitium mittimus. *Vidit inqvit qvomodo inferiores terminarentur, hinc non erraturum ſe credidit, ſi exterioribus ſimilem tribueret inſertionem.* Unde is novit qvod viderim qvomodo terminarentur inferiores? undè conſtat, me his ſimilem exterioribus tribuere inſertionem? An ex eo qvod ad glandulas oris inferiores utrumq; deferri dixerim? miror ſummam ingenii ſubtilitatem, ſit unius foramen magis eſſe vicinum dentibus anticis alio, an hoc ideò ad oris partes anteriores deferri negabimus? ego certè nullam rationem video; qvod ſi oris totius cavitatem in anticam & poſticam diſtribuamus, ſanè ductus ſuperior anteriorem magis ſpectabit, qvam poſticam. Et qvid ſi adeò accuratè utriusq; inſertio determinata non eſſet in Medicinâ meâ, qvid indè? ſuperficialiter magis non tantum hæc, ſed & omnia, tradita hîc à nobis eſſe, jam ſatis diximus; ſtultum ſe profitetur qvi non videt, tædet ſæpius hæc repetere, & qvis ſcopus fuerit in opuſculi illius conſcriptione centies indicare, qvod ſi in ſpecie de Naturâ ſalivæ, aut etiam glandularum maxillarium, paroti-

rotidumvè egiſſem, & ſic terminum utriusqve ductus ſimili modo propoſuiſſem, haberet qvod jure carperet. Confer qvæſo, qvæ in præcedentibus ex Diſputatione meâ adduxi, non ex Diſputatione Stenonianâ deſumpta, hæc enim ut jam ſupra qvoq; aperui, non niſi poſt eam peractam, oblata mihi fuit, ſed verè ex diſſectionibus animalium obſervata.

Glandulas unde motu lingvæ exprimatur Saliva in ore me *fingere* gratis à Domino Stenonis dictum eſſe ſcito, qvod ſi figmentis illæ annumerari debeant, non niſi figmenta Theſi 18. & 19. ubi de glandulis in buccis repertis, proponit. Has totam buccarum Regionem occupantes exteriorem oris cavitatem undiq; ambire, & ſurſùm deorſumq; ad gingivas pertingentes muſculos inter & tunicam oris ferri, ipſe Theſ. 19. tradit. Ipſe qvia proponit oris glandulas ideò dantur, non dantur, qvia ab alio proponuntur. Stultis merito annumerandi qvi nil rectum judicant, niſi qvod ipſi fecerint. De glandulis interioribus ſub lingvalibus non video ipſum dubitare. Aliqvid qvoqve adjumenti roborisq; argumentis ſuis accedere cenſet Dn. Stenonis, ſi dicat *Motum lingvæ ad expreſſionem Salivæ parum facere*. contrà ac à me cap. de Salivâ traditum, & huic diffi-

culta-

cultati, inexſpectato occurrenti, nullius ſanè ponderis, in citatâ Theſi Diſputationis meæ ſatis factum à me puto, exire qvidem ſalivam ſpontè, etiam nobis non obſervantibus liberius verò, accedente lingvæ, aut etiam externi cujusdem in ore detenti motu, ac compreſſione. Nec tamen volumus ſalivam non niſi per *foramina* ea qvorum unum in qvovis ductu datur, amplum ſatis, papillari excreſcentiâ munitum, in oris cavitatem, exire, ne qvid jam de viis aliis dicamus, cum plurimis ramulis, minutiſſimis licet donatos eſſe ductus hoſce notemus, ubi oris glandulas attingunt, credibile etiam humorem qvem continent, per eos eò deferri exindè ſenſim in oris capacitatem exprimendum.

Satis de primo qvod in me deſiderat: *Ductui tam brevi tam manifeſto verum ortum, nec egreſſum verum aſſignari.* Pergo ad alterum: *Uſui* ſcil. *ignobili glandulam è qvâ ductus ille prodit, deſtinari.* Ad hoc qvid dicendum ſit, ex dictis qvodammodo conſtat. *Verus parotidum conglomeratarum uſus* inqvit *illam qvæ per ductum ſalivalem exteriorem in exteriorem oris cavitatem excernitur, ſalivam præparare.* Ubi hæc unqvam negavi? nunqvid cap. XII. pag, 24. ubi de glandulis maxillaribus, expreſſis verbis *iu-*

dem ſeroſas ſuperfluitates recipi, foraſq́; ſalivæ formâ evacuari docuimus. Et hæc erant alleganda; Non eſt Viri probi mutilatè verba alterius proponere, tùm maximè cum ea refutanda aſſumimus. Poſito uno falſo ſæpius infinita ſeqvuuntur. Qvæ de maxillaribus glandulis in Medicinâ meâ propoſui, qvandoqvidem ad partem earundem, contra mentem & intentum meum. qvicqvid etiam dicat communis opinio, reſtringat Dn. Stenonis, eam nempè qvæ inferior maximè eſt, coloris albicantis, collaris rectius qvã maxillaris dicenda, qvi aliter fieri potuit, qvam ut in uſu vero earum aſſignando errorem committat. Et maxillaribus, & parotidibus veris ſuos uſus, qvantum qvidem tum temporis conſtabat, adſcripſi, ſemper meliora addiſcere paratus, qvæ qvia Dns. Stenonis necdum exhibet, non eſt qvod à propoſitâ ſententiâ recedamus.

Poſſent hæc ſufficere, ad demonſtrandum falſitatem, qvam etiam in hoc ſecundo membro commiſit Dn. Stenonis, uſum nempè ignobilem parotidibus à me tribui, cum tamen ipſe vel ignoret, vel contradicendi animo motus ſcire detrectet, qvid maxillarium, qvidvè parotidum nomine nobis veniat. Qvod ſi definitionem, qvam parotidibus dedi pag. 24. ritè

ritè examinaſſet, aliud qvid me inſignire facile vidiſſet, qvam qvidem vel ipſe, vel vulgus facit. Attamen perverſus ipſius animus, forſan aliorum exacerbatus inſtigatione, qvo Tibi magis innoteſcat, qvæ de uſu harum glandularum ex ſcripto meo adducat, paucis percurram. *Non video* inqvit Theſi 17. *qvâ ratione D. Blaſius excuſari poſſit, qvi repertis frugibus glande veſcitur qvi licet ductus inventorem ſe venditet, nihilo tamen minus ut deſcriptionem, ita & uſus ab illo aſſignatos ſuos facit, licet mutilatè: Primum enim truncatum proponit, tertium omittit: Namq́; pag. 24. Med. gen. ait glandulas cum maxillaribus ſubſtantiâ convenientes circa radicem auriculæ externæ locum maximè habere, hinc auriculam totam cingere, ut ſuperfluitates recipiant (terminos undè & qvo reticendo) auremq́; calore ſuo foveant. Qvis eorum qvi viderunt ductum ſalivæ ad hanc usq́; glandulam continuatum, qvi in hac glandula inſignes ductus ejusdem radices magno numero elegantiſſime diſtributas conſpexerunt, credet D. Blaſium, ſi ductus ſalivalis inveſtigationi manum unqvam admoviſſet, uſus tam ignobiles parotidibus fuiſſe adſcripturum, parotidibus dico, qvas licet ſubſtantiâ cum maxillaribus convenire viderat, uſu tamen convenire, non poterat ſuſpicari.* Qvot verba contra me proponit, tot errores com-

 mittit.

mittit. Excuſatione hic minimè indigeo, rem ut propoſui ſic ſe revera habere, jam diu ſcil. ante adventum Du. Stenonis ductum ſalivalem ſuperiorem à me inventum & demonſtratum, juramento, ſi qvidem tanti eſſet, teſtimonioq́; confirmari poſſet, ut adeo jure merito ejus me Inventorem primum dixerim & adhuc dum dicam, mercaturâ hîc nullâ opus, qvod ſi laudis ex inventione eâ redundantis, qvæ ſanè exigua valde ſemper à me habita fuit, avidus adeò fuiſſem, non exſpectaſſem in ea tempora, qvibus D. Stenonis ſe ejus inventorum verè venditat. Hæc ſi licerent Domino Stenonis, adeóq́; aliena ut ſua orbi obtrudere permitteretur, qvid non ab eo exſpectandum eſſet. Miror valdè, qvod totius Medicinæ meæ, aliorumq; qvæ illis temporibus, qvibus apud me vixit, conſcribebam, authorem ſe qvoq; non profiteatur; qvid non audent impudentes? Qvod ſi deſcriptionem parotidum, & uſus earundem ex Warthono deſumpſiſſem, qvod tamen falſiſſimum, an id ſceleris notam mihi inureret? ſic certè Authores omnes, maximè Recentiores, eodem crimine accuſandi. Uſus qvos ipſe parotidibus ſuis tribuit, qvando qvidem meis, neutiqvam convenire clarè videbam, annon ſtultis accenſendus merito meo eſſem, ſi qvidem propone-

ponerem. *Primum*, ſuperfluitates nempè recipere, truncatum qvod propoſuerim, non video, qvis plenè eum tradidit? Ipſe an Warthonus? mihi ſaltem non occurrit apud eos perfecta uſus hujus explicatio, ſapientiæ pars eſt qvædam ignorare velle, melius judicium ſuum in rebus nondum cognitis ſuſpendere, qvam figmentis chartas replere. Terminos unde & qvo non tantum hic, ſed & aliis in locis reticere volui, ne errores confirmarem. Qvæ Warthonus de Nervis adducentibus & venis recipientibus habet cur non placeant, nimis longum foret, imò ſupervacaneum hic recenſere. Qvod ſi nunc dicerem, Terminum unde eſſe arterias ipſas, ſimiliter ut de ſalivâ dixi, at verò Terminum qvo oris glandulas, anteriores magis iis, ad qvas ductus ſalivalis pertingit. Et hunc uſum adeò ipſis parotidibus veris convenire jam puto, ut etiam, ſi non magis, ſaltem æq; ad ſalivæ ſeparationem conferat, qvam qvidem conglomeratæ Stenonianæ, non ſolùm enim copioſiſſimum ſalivæ affinem maximè humorem diſſectæ nobis exhibent, verum & vaſis ad oris anteriora recta procedentibus, verè lymphaticis (cujus generis etiam ſalivales alios cenſeo, ut jam ante aliqvot annos in commont. meo ad Vesling. indicavi)

 qvam

qvam uberrimè gaudent. Sed hæc abſtruſa magis adhuc cum ſint, nolo plura pro hoc tempore de iis addere. *Tertium* uſum à Warthono glandulis tributum cur omiſerim, facile ipſe vides, non enim mihi ſermo de conglomeratis illis parotidibus, ut jam cēties monui, utpote ſub cenſu maxillarium qvæ à nobis habentur, adeoq; foveam illam in auris ambitu explere atq; complanare parotidem meam qvo jure dicerem. Et hoc enſe jugulum proprium petit, me nempè neutiqvam hic de conglomeratis ipſi dictis parotidibus hîc agere, qvibus maximè hoc muneris competit, utpotè cavitatem eam ſub auriculâ ſe exhibentē, profundam ſatis, replentibus, qvod cum ita ſit, qvam non injuſte mecum agit, de uſu earundem diſceptans, prius ipſi cognita debuerat eſſe pars, de qvâ ſermo mihi, anteqvam de uſu litem mihi moveret. Verum qvidem me ſtatuere in tractatu meo parotides meas, qvas veras cenſeo, qvicqvid etiam Veterum, Recentiorumq; opinio velit, *cum maxillaribus ſubſtantiâ convenire*, at ſi generalis ea convenientia glandularum in ſubſtantiâ, in omnibus glandulis, vel etiam ſpecialior in qvibusdam, ſufficeret, qvot non pro unâ habendæ? More ſuo, verè malo, procedit & hîc in allegatione verborum meorum,

rum, convenire eas cum maxillaribus ſubſtantiâ dico, *niſi qvod* (nota verba qvæ omiſit) *paulo adhuc duriores ſint & viſcidiores*, ne putet me fruſtra hæc addidiſſe, veris parotidibus unicè competentia, licet de parotidibus in genere eadem proponat Warthonus, ſenſus ipſe judex ſit, & omnes eorum, qvi viderunt ductum ſalivæ ad glandulam maxillarem continuatum, qvi in eâdem inſignes hujus ductus radices magno numero elegantiſſime diſtributas conſpexerunt, videbunt Dn. Blaſium ductus ſalivalis inveſtigationi manum ſatis admoviſſe, uſusq́; ſatis nobiles parotidibus veris adſcripſiſſe. Sed Tempus me pedem ſiſtere monet, idq́; magis ne prolixitate meâ moleſtus evadam, nec adeò litteras qvam tractatum conſcribere videar. Vale mi Bartholine, & amare perge.

Amicum tum ſincerum

Ger. Blaſium Med.
& Prof. Publ.

Amſtel. 16. Julij 1661.

P. S. Salutem Tibi mittit Collega meus conjunctiſſimus Arnoldus Sengverdius, Prof. Philoſ. primarius. Eandem meo nomine qvæſo offer Fratri Tuo Eraſmio, Finckio, Steenbuchio, affini meo Longomontano cum ſorore, & qvos noviſti amicos.

Percepi priori huic Diſputationi alteram ſubjungi debere, qvæ qvid contineat, avide ſcirem.

EPIST. XLIV.

Reconciliatio inter diſſidentes amicos tentatur.

GERARDO BLASIO, Amſtelodamum.

INvitiſſimè ex tuis intellexi diſſidia inter Te & Stenonium orta, id eſt, inter amicos meos primæ notæ. Ægrius tamen animo meo fuit, qvod Studio partis alterutrius addictus credar. Ne id Tibi qvisqvam perſuaſerit, per fidem tuam Te rogo. Utrumq; amicum mihi optavi, & gratulatus ſum de ea felicitate qvam inter prima reputo. Nollem amicitia alterutrius excidere nullâ mea culpâ, qvia nihil qvod ſciam hactenus commiſſi, qvo vel ſuſpicione aliqva proderer. Ita enim

enim res meas accommodare ſoleo, ut bonorum amicitiis ſtipatus, patenti via ad verum pergam, nec facilè odia ſeram vel ſuſpicationes, qvando recepta pietate amicos colendos ſuſcepi, qvi & ſincerè & conſtanter jura amicitiæ tuentur. Utrumq; veſtrum amo ſine fuco, & magnis documentis de veſtro qvoq; animo ſum certus, ut cauſa nulla ſit juſta, qvæ me ad alterutrius devortium inflammet. Candidè me loqvi & apertè noli dubitare. Si qvidqvam dubii apud te ſuſperſit, id omne diluam, ſine alterutrius offenſa. Novos à ſe inventos ductus ſalivales amicè me per literas monuit laudatus STENONIUS noſter. Gaviſus novum à diſcipulo meo optatiſſimo lumen arti Anatomicæ inferri, author fui in reſponſoriis, ut repertum vas accuratè & deſcriberet & depingendum curaret, publicumq; iſta acceſſione præclara ditaret. Tibi qvoq; iſtum ductum vel viſum vel cognitum ignorare omninò debui, qvia ejus indicium nec ipſe Tu nec alius mihi dedit, anteqvam ſimultas veſtra in publicam ſcribendi licentiam erumperet. Aliqvid tamen ea de re in literis conqveſtus eſt STENONIUS, qvod ſibi diligentiæ & fauſti laboris honor ab alio, intercipeterur, qvem amicè ad concordiam exhortatus ſum ne in famæ, qvam

 mag-

magnam prævideo, initiis nimia cum adverſariis concertatione defatigetur animus majoribus majori gloria dicatus. Qvod ſi calamo innocentia eſſet vindicanda, ſvaſi cordatè, ut ſolita mihiq́; nota temperantia cum præceptore congrederetur ne veritas caperet detrimentum, aut qvicqvam de conſveta modeſtia remiſiſſe inter novæ fortunæ blandimenta videri poſſet. Nihil hactenus à me peccatum recordor, qvod diligentiam optimi diſcipuli laudaverim, qvod ad ſcribendum animarim de invento noviſſimo, inſigni Anatomes emolumento. Etenim, ut prudenter olim *Criſpus* Romana primus in Hiſtoria dixit, omnes magna mediocriq́; ſapientia res huc vocat: qvæ qvisq́; optima poteſt, uti dicat. Deniq; qvod vel concordiam vel in diſſentiendo modeſtiam, qvæ illi innata eſſe ſolet, apud amicum, qvi ſe læſum exiſtimavit, ſtrenuè urſerim, ægrè non feres qvi ea prudentia polles ut, qvia eruditis aliis monumentis orbi literato inclaruiſti, inter minima reputare poſſis Ductus exilis inventionem controverſam, ſine qva, fama tua ſarta eſt & immortalis. De ipſa re inter vos agitati cœpta judicandi arbitrium mihi non ſumam, ne alteruter ſit nocens, qvicunq; viſus fuerit mihi utriusq́; amico nocens. Suus cuiq;

ani-

animus ex conſcientia innocentiam præbeat. Mihi enim aliisq; hoc paſſu in bivio conſtitutis ſatis erit, ſi invento novo gaudeamus, qvanqvam de inventi autore cuiq; ſit ſua ſentiendi libertas. Neq; enim in hoc tanto conatu laborandum cenſeo, meoq; exemplo docui, nihil minus me curaſſe qvam iſtam prærogativam. Rei incumbendum, nec de auctore litigandum. Mallem verò inter vos amicitiæ redintegrationem, ut redeat, unde ſummota eſt, reparetq; amiſſas nuper vires. Id ſi me arbitro juſtiſſimæ æqvitati conceſſeritis, optimè de utoq; amico meritus dici poſſum. Sin aliter præter votum evenerit, optarim tamen cum Attico efficere, ut inter qvos tantæ laudis eſt æmulatio, nulla intercedat obtrectatio. Qvicqvid futurum ſit, Tibi amiciſſimo ſolatium illud *Nepotis* in Eumene, in memoriam refrico, qvod magnos homines virtute metiamur, non fortuna. De me verò credas officia amicis præſtare inpoſterum velle ſine factione. Sic amicus erit Blasius, & amicus qvoq; Stenonius, Namq;

Jurgia externis inimica durant,
Qvos amor vetus tenuit, tenebit.

Vale

Vale & ipſum Te vince. Scripſi Hafniæ Cal: Sept. cIↃ IↃc LXI.

T. T.
Th. Bartholinus.

EPIST. XLV.

Secreta Opii præparatio.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

Oblata hac tam commoda occaſione intermittere haud potui, qvin dudum Tibi promiſſam Opii Eſſentiam transmitterem. Eſt ea, qvâ per Dei gratiam tot annis optatiſſimô cum ſucceſſu adeoq; tanto cum ægrotantium commodo utor, ut etiam anteferre illam omnibus mihi hactenus notis remediis, pretioſiſſimis etiam qvibusvis haud verear. Et ſpero, anteqvam dimidium hujus pyxidulæ abſumpſeris, Te idem teſtaturum. Talis nimirum præparatio ejus eſt qvæ non poteſt non magnos nobis ſpondere effectus. Noſti mirandas fermentationis vires, qvamq; ea ad intima rerum pervadat, purum ab impuro, craſſum à ſubtili, cœlum à terra, ut Chymicorum more loqvar, ſeparet. Cumq; in opio duo ſint ſuperflua, maximeqve noxia, Sulphur

nimi-

nimirum Narcoticum volatile malignum, & fex craſſa impura terreſtris, qvomodo felicius, accuratiusve ſeparari poterunt, qvàm Via Fermentationis. Vidi id ſanè non ſine inſigni voluptate cum unà cum appropriato ſuo corrigente, ſucco Cydoniorum leni Calori ad fermentandum expoſuiſſem; Exſpirabat primò Volatile illud fœtidumq; Sulphur, Cerebrô, cordiq; adeò infeſtum, ſiqvis ei propior factus id copioſius cum aëre hauſerit: Ego ſanè cum meo ipſius damnô expertus ſum, cum primâ id vice pararem. Cautior dein factus elegi locum aëri maximè pervium. Colligitur dein ſenſim ſenſimq; reliqvum qvod ineſt impurioris ſubſtantiæ; atq; ea, qvæ levis ſpumoſaq; eſt ſuperiorem, ea vero qvæ craſſa & terreſtris eſt, imum occupat locum, utraq; in magnâ qvantitate, ea tamen inprimis, qvæ inferiora petit; Mirum, qvam puri parum adſit. Eſt liqvor pellucidus, Rubini inſtar rutilans medio conſiſtens locô, qvi à dictis accuratè ſeparatus, Balneôqve Vaporis ad ſpiſſioris extracti conſiſtentiam redactus circulatur tandem per menſem unum aut alterum cum Alcoole Vini, ut qvod Crudi reliqvum eſt, excoqvatur, adq; debitam maturitatem deducatur. Vides Celeberrime Bartholine, qvàm longè alia hujus ſit

ſit parandi ratio, atq; illius vulgò hactenus vel ad mentem Paracelſi, Crollii, Qvercetani, aliorumve parati. Judicem te appello. Imò ipſe nunc multis poſſem demonſtrare, qvam parùm accedat ad verum Chymiæ Scopum, qvi eſt puri ab impuro ſecretio, niſi jam dum fidem dediſſem Tibi, me plenius aliqvando peculiari Diſſertatione de iis acturum. Sufficiat nunc uſum ejus paucis delibaſſe. Is ampliſſimus planè eſt, atq; extendit ſe ad omne fermè morborum genus, exceptis Soporoſis, vel Naturam Motu inordinato peccantem ſedando Viribus defectam reficiendo, Doloribus & vigiliis conſumptam placidiſſima qviete refocillando, vel humores nimium effervеſcentes compeſcendo, vel Spiritus paulò concitatiores ad temperiem reducendo. Adjungo ut plur. appropriata cuiq; membro remedia, inq; magnis ardoribus Flores Nitri, Nitrum Perlatum, Sal Ducis Holſatiæ. Seqventi tamen Compoſitione familiariſſimè utor. Recip. Pulv. Diacherm. Ang. Sal. Unc. ij. Salis Ducis Holſat. cum auro parati, Florum Nitri an. Unc. ſ. Eſſentiæ Opii noſtræ gr. LIV. Miſc. optimè: Doſis eſt granor. xv. xvij. xx. pro adulto, qvam dimidium tantum granum Eſſentiæ Opii ingreditur, raro etenim ad

gra-

granum j. aut j. ſ aſcendo, & niſi in magnis doloribus & vigiliis. Sed de his ſuo loco plura. Nunc Te rogatum volo, de Novo Potus genere Coffi dicto, tuam aliqvando ad me perſcribas ſententiam, atq; num uſus ejus in Aulâ qvoq; veſtra innotuerit,uti in Svecica,ex qvâ rumor ejus ad ad noſtram pervenit. Sunt, qvi miras de eo virtutes deprædicant, qvodq; inOriente adeòq; nunc etiam inAnglia multus ejus ſit uſus. Vale Excellentiſſime Bartholine, & Clariſs. Fratri Salutem & Amorem à me nuntia: Spero priores meas unà cum Pyxidula Eſſ. Opii ad Te perlatas eſſe. Benè feliciterqve vale & ama

T. Adictiſs.

Sleswici xv. Cal. Aug. 1661.

J. Langelott, D.

EPIST. XLVI.

Inuſitatæ Laudani Opiati vires.

JOELI LANGELOTIO Sleswicum.

PRo transmiſſa Laudani Tui deſcriptione & me & publicum Tibi habebis debendi reum. Singularis illa eſt, &, qvantum judicare poſſum, admirandarum virtutum. Doleo qvod pyxi-

pyxidula à Te miſſa, mihi non ſit tradita, neſciò cujus internuncii culpâ. Cui concredideris, verbo indica. Nollem enim perire qvæ ab amica tua manu veniunt. Vulgares compoſitiones apud noſtros Pharmacopœos uſitatas, haud ignoras. Noſtram in Diſpenſatorio Hafnienſi ſignavimus, cujus ſingularem vim nuper in hydrope & teneſmo expertus ſum, ut viles ſint herbæ Ponticæ ſi ad hujus laudes conferantur. In utroq; affectu qvid egerit, narrabo Tibi harum rerum peritiſſimo. Aqvam inter cutem in Nobili noſtro Nicolao Gyntelbergio, amico noſtro, nullo alio remedio mitiori per alvum & lotium evacuare potuimus, qvam Laudano noſtro, qvodq; in aliis fluxus omnes ſolet cohibere, in hoc concitavit, roboratâ ſine dubio proſtratâ naturâ, ad noxiarum humiditatum expulſionem animoſius deinde inſurgente. In ſpectato rerum uſu Sene Selio Marſelio calculoſo & teneſmo miſerè excruciato parem Laudani noſtri vidimus efficaciam. Unius enim medii grani pondere ſumptum inhibere ſenſimus teneſmum, ut induciæ ægro qvadrantis horæ ſpatio concederentur, unde nec die nec noctu, ingruente teneſmo graviſſimo, ſpe certi ſolaminis, iſtud remedii genus neglectum. Calculoſum qvoq; ſabulum pellere

lere obſervavit, & alvum compreſſam ſolvere. Exiſtimavi verò id fieri, ut dixi, qvod per ſomnum collectis viribus, natura roboraretur. Niſi tu aliam ex penitioribus Chymiæ receſſibus cauſam monueris. In his enim aliisq́; Naturæ ſecretis Tibi palmam deferimus. Ne de mea fide dubites, prioris curationi mecum adfuit in Chymia verſatiſſimus D. *Aſſuerus Payngk*, poſterioris Medicus veteranus D. *Paulus Moth*, amicus uterq́; conjunctiſſimus. Apud *Scribonium* Largum Comp. 126. opium in hydrope, arqvato &c. in qvibus opus eſt urina, laudatum memini. Ubi magnus noſter *Rhodius* apium reponit, minus, meo judicio, rectè. Opio enim ex exemplo noſtro ſe vindicat. De Coffé nihil habeo qvod ſcribam. Necdum enim id potus genus, qvod in Anglia eſſe uſitatum me monuit D. *Möinichenius*, qvi Te ſalutat æſtimatq́; plurimum, apud nos innotuit. Veniet tamen, ut inter luxus aulicos numeretur. Aliàs plura. Vale, amiciſſime *Langelot*, & me ama ſemper ad omnia amica vota Tuum. Haſn. 25. Jul. 1661.

T. T.

Th. Bartholinus.

FPIST. XLVII.

De Bilſianis Secretis judicium.

Nobiliſſimo Domino Bartholino
Vota & Obſervantiam.

NIcolai Stephani, Tuaq;, Celeberrime Vir, Epiſtola adeò hic prudentibus & bonis placuit omnibus, ut ſupra invidiam & Calumias Te impoſterum pronunciare auderem, vellet hoc ſi modeſtia Tua pati: negat Bilſius qvicqvam ad illam ſe repoſiturū, exprobravitq; ipſi ipſiſſima, præſente Dn. Lones, ejus conjux, ſuam imprudentiam, qvod non nudè ſcripſerit qvæ ſciret, & ab omni convitio abſtinuerit; ſed aliorū hoc eſt factum culpâ: licet n. à qvibusdam maledicus dicatur ſuâ naturâ, certiſſimum tamen eſt ſtultiora convitia à Saſſii & Jordani deplorando calamo profluxiſſe Vicinus iſtius mihi à diſſenſus noſtri exordio dixerat, infelices eſſe qvi cum tali Polyphemo & *Groſſmidt* non in omnibus convenirent, ita enim apud Roterodamenſes Saſſius audit. Hic libro Tibi mittendo & *Studentenbaver* intitulato ſe petulantem, profanum, calumniatorem &c. publicè profitetur; utinam in bonos qvosq; famoſa lucifugi hujus ſcripta noctu (ut, illo turpiter volente, propria nuper uxor) ſepelirentur & æternæ obli-

vioni

vioni traderentur. Præterita hebdomade per triduum hic commoravit Bilſius, volebatq; ex relatu amiciſſimi nobis Dn. Fr. Verſchagen, me inviſere, veteris amicitiæ (qvam nunqvam apud me perdiderat) redintegrandæ animo, ejus ſed ſuperbia malevolentiæ aliorum juncta ipſi ædium mearum aditum intercluſit; dixit vero ſe brevi Flandriam repetiturum & omnia ſua ſibi ſervaturum; qvod non multum dolemus, reverà n. parva ſunt qvæ inſcius Homo tanti facit: Ne hoc gratis videar dixiſſe, rationes addam. Balſamica ejus corpora nunc valdè madent, nunc juſto ſicciora pulveraſcunt, qvandiu itaq; ſint duratura, judicent Salis & aluminis naturæ gnari. Sectio ejus ſine cruore, hujusq; de loco in locum propulſio (qvam nemo etiam intimorum ſuorum adhuc vidit) œconomiam corporis humani turbat potius qvam illuſtrat, omnia enim vaſis ſangvineis teneriora disrumpuntur; atqvi illa ſatis clarè nobis ſunt depicta, qvid igitur inde novi qvid melioris? Philoſophia ejus tam ruſtica eſt, qvam mores, & ſic judica de cæteris, ita ut nunqvam ipſum meo, rudi licet, calamo dignatus fuiſſem, niſi intolerabili medicinæ, qvam penitus ignorat, contemptu, & ſordida ſui ipſius laude effeciſſet, qvod magnæ notæ viri nobis

artis futilitatem, ignorantiam, fucos, in os, ut dicitur exprobraſſent, & pro deceptoribus haberemur; duro igitur nodo durus qværendus erat cuneus, & ſic dum pravos rideo, apud bonos acutiorem meam pennam facilè veniam impetraturam confido: Adeò qvoq; miramur qvi D. Deuſingius hominis & rei in pleriſq; ignarus, Anatomicusq; theoreticus non practicus, partibus Bilſianis ſeſe addixerit in detrimentum anatomiæ, medicinæ & Profeſſoriæ dignitatis, ait enim ipſe Bilſius ſe non niſi male à Deuſingio defendi poſſe, qvod experimenta ſua neſciat. Ex parte jam à Doctiſſimo Dn. Sthenone refutatus eſt, & ſeqventur alii; ipſi mihi animus erat Cor à putridis effoſſi Hepatis vaporibus defendendi, & veſpillonibus hocce Tuis iterum ſepeliendum tradere, ſed majoris Tuæ dexteritatis & doctrinæ gnarus, nolui in lautam Tuam meſſem, falcem meam minus acutiorem immittere. Anatomica & Chirurgica mea Tyronibus non Doctis ſcrripta ſunt; laudo igitur, qvam improbas, Bibliopolarum negligentiam. Stheno ille veſter nobis magni hic fit; & miramur ejus eruditionem, induſtriam, ingenium, nihilq; in eo deſideramus præter majorem modeſtiam ergà Præceptorem ſuum Blaſium; ſed concitatior

hic

hic juvenilis ardor animusq; majora promittit ſedatior. Valde doleo Cl. Mœnichenum non humanius à me fuiſſe exceptum, nec de nomine enim, nec de faciè mihi erat cognitus, & præclararum ejus virtutum non niſi poſt diſceſſum ejus certior factus ſum; ſed abutor Tua benevolentiâ, itaq; libenter finiam, modo credas me eſſe manſurumq;.

Ampliſſimi Nominis Tui

Devotiſſimum Cultorem

Amſtel. 30. Julii 1661.

Paulum Barbette.

EPIST. XLVIII.

De rabie animalium.

PAULO BARBETTE Amſtelodamum.

GAudeo qvod Diſcipuli mei Stephani pietas & mea innocentia Tibi aliisq; fautoribus placuerit. Utinam verò verus eſſes vates, meq; extra invidiam poneres. Nunqvam id vel ſperare potui vel optare. Nec invidia valdè angit, cui aſſvevi, qvia virtutis comes

eſſe ſolet. *Deuſingium* adverſarium in hac arena qvidem inveni, ſed prorſus humanum, quem iccircò eodem humanitatis officio obviam ire decrevi. Amicum enim inter controverſa argumenta & diſſentientes ſententias in amicitia retinere ſatius eſſe duco, qvam offendere, modo ſalvâ id veritate fiat, ad qvam metam uterq; properamus. Verè enim olim Sulla: amicorum neq; nobis, neq; cuiqvam omnium ſatis fuit. Mihi verò, qvi omnem ætatem in optimis artibus egi, cum aliis Bilſianis qvibus malè dicere jam ex conſvetudine in naturam verſum eſt, me amplius non committam. Præſtat ſilentio me vindicare & mea innocentia involvére. Loqvar cum invicto Mario: Non ſunt compoſita verba mea. Parum id facio. Ipſa ſe virtus ſatis oſtendit: illis artificio opus eſt, uti turpia facta oratione tegant. Rabie efferantur. Tandem, niſi fallor, vero lymphæ noſtræ uſu convaleſcent. Vitium tempori huic imputandum, non hominibus. Æſtas enim hæc ſicca æſtuansqve multa animalia in phrenitidem & vertiginem agit, qvod damno ſuo multi apud nos agricolæ experti ſunt. Notandum id inprimis de eqvis, bobus & ovibus. Vermes capiti ineſſe ita affectorum, ruſticorum noſtrorum eſt obſer-

ſervatio. Eqvarum rabiem raram deſcribit *Columella* Lib. VI. R. R. c. 35. ut cum in aqva imaginem ſuam viderint, amore inani capiantur, & per hunc oblitæ pabuli, tabe cupidinis intereant, mentis verò hunc errorem diſcuti, ſi deducantur ad aqvam, tum enim denuò ſpeculatas deformitatem ſuam priſtinæ imaginis abolere memoriam. Noſtro eqvorum generi ab eqvo forte inventa medicina, qvi rabie hac agitatus mari ſe commiſit, ibiq; natans, evaſit ſanus. Qvod Veterinarii noſtri deinde magno ſuo commodo ſunt imitati. *Vegetius* lib. 2. Veter. Art. c. 12. poſt ſectam de angularibus venam, aqvam frigidam dat inſanis. An ex lympha noſtra ſimile æſtuantibus rabie adverſariis remedium qværendum, non dubito, modò rectum ejus uſum ſeqvantur, Teq; in conſilium laborantes advocent, ut frigidam affundas. Nemo Te rectius Cor vindicaverit. Ubiq; enim monſtras qvam par ſis omnibus, & publicè jam in Reſponſionibus Tuis nervoſiſſimis Heröem artis Te probaſti contra illos, qvibus fides, decus, pietas, poſtremo honeſta atq; inhoneſta omnia qvæſtui ſunt. Ægrè adhuc fero negligentiam Bibliopolarum, qvod necdum ad nos pervenerint Anatomica & Chirurgica Tua Opuſcula

N 4 qvovis

ſciſci poſſunt, qvæq; omninò opus habent, ut Sole ingenii Tui illuſtrentur, ſi publicum aſpectum ferre debeant. Laudani veſtri operationem in Hydropico miratus ſum, neq; de eô tale qvid hactenus mihi compertum. Sunt eqvidem in Opio particulæ Sulphureo-Salinæ, qvibus aperiendi vis ineſt, retundantur tamen præparatione & admiſtione eorum, qvæ contraria vi pollent. Si ullum, Mynſichtianum ratione additorum oleorum, & liqvoris Solis aromatici aperiret, ſed nec id vobis in uſu eſſe mihi conſtat, potius in tuâ ſententiâ acqvieſco, roborata nimirum Natura, eò fortius qvoq; expultricem inſurgere, ut officio ſuo perfungatur. Sexcenties hoc expertus ſum, qvam mirabile Laudanum tempori exhibitum vires exerat: Exerit adeò feliciter, ut primas meô haud immeritò nuper inter omnia, qvæ hactenus mihi nota Confortantia tribuerim; Si placet, referam, qvæ in ſimili affectu ante biennium de eô obſervaverim. Illuſtris Domina Sporckia, Nominatiſſimi Generalis Locum-tenentis, Baronis Sporckii Conjux Hectica laborabat atqve unà Aſcite graviſſimè. Præceſſerant multis abhinc annis Lienis uteriq; obſtructiones, unà cum continuis Ventriculi doloribus. Primò ad eam in-

 greſſus,

greſſus, adeò eam vigiliis, doloribus, inprimis Ventriculi, immenſa ſiti confectam reperi, ut tantum non animam trahere videretur; referebantq; miniſtri ejus non ſemel in itinere ex Jutiâ (ubi tunc temporis Exercitus Confœderatorum commorabatur) huc facto periculum fuiſſe, ne in Curru exſpiraret. Eapropter nihil minus qvam afflictiſſimi hujus Corporis Curam cogitabam. Victus tamen precibus Confeſſionarii, uti & eâ, qvam in me poſuerat, confidentiâ, ratus qvoq;, melius eſſe Celſi noſtri judiciô, anceps qvam nullum experiri remedium, primò omnium, præmiſſo tamen leni Clyſtere, confugi ad Laudanum noſtrum perlatum, tanqvam ad ſacram poſt Deum anchoram: Dedi, & vidi his oculis feliciſſimum effectum. Namq; poſt horam placidiſſimus eam excepit ſomnus, qvô licet diu non duraret, mirè tamen ſe refocillatam ajebat, adeoq; petebat, ut ejus uſum continuarem. Morem geſſi, etiamſi multa adeſſent, qvæ crebriorem Opiatorum uſum diſſvaderent confiſus in eô præparandi modô, qvi uſum Laudani mei tutiſſimum mihi polliceri poterat. Perrexi itaq; & exhibui, cum neceſſitas ita flagitaret ſingulis ferme diebus, nunqvam non feliciſſimô cum ſucceſſu: Ipſa Domina Sporckia palàm omni-

omnibus deprædicabat, nullum ſe unqvam in vitâ ſua remedium accepiſſe, ex cujus uſu manifeſtum adeo levamen perſenſerit. Interdiu contra Hecticam pugnatum, liqvore Cornu Cervi, Sale Eſſentiali Saturni, uti & Antihectico Poterii, modò in juſculis alterantibus, modò in Julapiis appropriatis propinatis. Utqve vires adhuc majus augmentum ſumerent, Gelatinam Zwelferianam parandam curavi, additis qvibusdam pretioſis, pro majori virium reparatione: Atq; his Deo benedicente in tantum profecimus, ut ad majora tentanda progredi nobis licuerit: Aqvarum moles magnis Illuſtrem Dominam patientem moleſtiis premebat; atq; ea antehac, movenda non erat: Nunc de eâ, qvantum fieri poſſet removenda conſiliũ ceptũ & propinatũ primò apozema digerens aperiens ex iis potiſſimũ herbis confectum, qvæ Sale Eſſentiali turgent; ſubjunxi hydragogum lene ex Mag. Gummi Gottæ, Sale Martis ſubdulci & Sale Tartari Volatili conſtans, qvibus effectum, ut pars aqvarum verſus umbilicum, ſecederet, pars qvoq; licet exigua admodũ per alvum ejiceretur, non ſine tamen inſigni Dnæ. patientis alleviatione qvæ ut eò citius deſiderato fine potiretur fortiora ſibi expetebat: Imò jam ſe in portu ſanita-

nitatis navigare firmiter perſvaſum habebat. Verum longè alia mihi mens erat, qvam qvoqve Reverendo Patri Confeſſionario ejus clarè ſatis expoſui, prædixiq;, extremum hunc eſſe Naturæ Conatum, qvandoqvidem præter alia cadaveroſus odor cubiculum, ſatis amplum, implens moneret, interiora corrupta omnia eſſe, Illuſtremq; Dominam non procul ab ultimà rerum linea conſiſtere. Itaq; dum diſcedendum mihi eſſet, jubente ita Sereniſſimo Principe meô, Confortantium præcipuè uſum commendavi, reſervatis reliqvis ad reditum usq; meum, qvô tamen opus haud fuit. Paulo enim poſt, cum nihil minus qvam mortem in Holſatia obeundam cogitaret, ſubita Lipothymia correpta obiit. Cadavere me abſente qvod valdè doluit, aperto oppidô apparuit, qvæ ſubitæ mortis, qvæ tot aliorum Symptomatum qvibuscum per tot annorum decurſum conflictata, cauſa fuerit. Mitto à Chirurgo obſervata; mitto lapidis in ventriculo reperti formam, ab Oleario, qvantum potuit, delineatam, ſi forſan placuerit rarioribus tuis inſerere. Mihi tantum hac vice propoſitum fuit Laudani vires proſeqvi, qvod nuper ad Te transmiſſum. Et ſpero illud certò nunc ad manus tuas perveniſſe. Ipſe enim

tra-

tradidi Illuſtriſſimi Comitis Rantzovii Secretario, cui nomen Nicolaus Brugmann, qvi ſanctè promiſit mihi, qvamprimum Hafniam perveniſſet, ſe idipſum ad ædes Tuas perlaturum. Vale Excellentiſſime VIR, & porro ama.

Sleswici VII. Aug.
cIↄ Iↄc LXI.

T. Addictiſſ.

J. Langelott D.

EPIST. L.

De calculo ventriculi & lienis ex cane exſectione.

JOELI LANGELOTIO Sleswicum.

SEcreta tua mihi ad gratias agendas animum addunt. Laudanum tuum accepi, proq; eo devinctum me profiteor, necdum tamen propter ægrotorum inopiam, illius vim expertus ſum. Dedi particulam D. *Moinichenio* noſtro, qvi in affine ſuo abſceſſu interno auris cum dolore capitis ingenti laborante nullam ejus ſenſit efficaciam. Alia tamen occaſione aliis exhibe-

hibebo, nec de virtute à Te deprædicata dubito. De noſtro Laudano, qvæ ſcripſi, vera ſunt, nempe in hydropico & alvi fluxum & lotium concitaſſe, qvod à natura roborata profluxiſſe juxta mecum fateris. Caſus ille rarus in Eqvitum Magiſtro Barone de Heiden mihi transmiſſus dignus eſt qvi à pluribus legatur. Ejus feci mentionem in Diſſertatione de *Hepate Defuncto* Bilſianorum experimentis oppoſita, qvæ ſub prælo fervet, unà cum *Ciſta Medica Hafnienſi.* Qvid de eo ſenſerim, nuper memini aliqvid ad Te ſcripſiſſe. Percommodum qvoq; advenit altera Tua hiſtoria calculi in ventriculo reperti, qvam Tibi & Celeberrimo *Oleario* gratus refero in acceptum. Siqvidem autem publicè hæc legenda ſunt in Epiſtolarum mearum Centuriis, ut ab aliis intelligantur qvæ germanica lingva à Chirurgo conſignata ſunt, latina hic faciam:

Brevibus refero obſervata in Balſamatione cadaveris uxoris Generalis Sporckii. Cerebrum, qvia plenilunium inſtabat, plenum erat & ſanum. Pulmones velut arefacta ſpongia deformes, inter utramq; alam purulenti, undiq; adnati: Cor valdè parvum ſed ſanum. Ventriculus contractior ſiccate, magnitudine ovi anſerini, plenus materia cruda qvaſi ovi putri-

putridi. Interius ventriculo accreverat lapis durus griſeus,qvem abrumpere coacti fuimus, craſſus pollicem, longus articulum. Diaphragma arefactum, Abdomen plenum aqva circiter qvatuor cantharorum. Hepar magnum, durum & denſum, & colore præternaturali. Lien valdè parvus & contractus, ſicut & renes, omnia informia, meſentericæ venæ obſtructæ omnes. Inteſtina flatu plena & aqva. Summa, omnes muſculi tabe flaccidi. Uterus & veſica tam parva, ut puerilia, ſed omnia inania. Sleswici 26. Julii 1659.

Joh. Braun.

Deſcriptio lapidis ex fida relatione laudati *Olearii* in literis ad Te ſcriptis ita habet:

Hodie lapidem, qvi in ventriculo fuerat, in manibus habui. Pater eum ad Generalem deferet. Ejus hæc magnitudo & figura:

Color exterior eſt griſeus prorſus ſimilis veſtimentis qvibus pleriq; hodie utuntur. Interius qvoq; candicat calcis inſtar, materiæ purulentæ immerſus. Ubi litera A ſignata, radix eſt, qva parte ventriculo annexus,

xus, & dum avelleretur, fruſtulum ventriculo adhæſit.

Inter multa alia exempla qvæ recitant *Schenckius* aliiq; dolore ventriculi ex calculis ibidem retentis defunctorum, hoc rarius eſt, qvia ventriculo adhæſit, in cæteris enim ſoluti memorantur lapides, ut etiam vomitu nonnunqvam ſint rejecti. Ut ex noſtris etiam aliqvid addam: hiſce diebus in præſentia Sereniſſimi Regis noſtri binis canibus experiundi gratiâ, lien fuit exſectus optimo ſucceſſu, uterq; enim canis poſt vulnus curatum convaluit & benè habuit. An igitur lienis uſus nullus erit? Non id auſim affirmare, qvum & uterus ſine vitæ diſpendio reſecetur. Lienis autem vicem deinde ſupplebit Pancreas. An autem expeditior inde curſus evadat, in tempore videbimus. Whartonianos ductus ſalivales nuper auxit Diſcipulus qvondam meus, nunc Leidæ vivens *Nicolaus Stenonis*, qvi ſalivales qvoq; exteriores deſcripſit, aliasqve obſervationes de glandulis in ore addidit, magna nominis celebritate rem Anatomicam augens. Mirum autem eſt, ductus iſtos Salivales ante *Whartoni* diligentiam latuiſſe, qvos accuratè videntur deſcripſiſſe *Haly Abbas*, *Abenſina*, *Iſaac*, imò ipſe *Galenus* lib. XI. de Us. Part. Adeò plura

plura in antiqvorum ſcriptis latent, qvæ negliguntur, qvia à paucis veteres leguntur, qvod dolendum, qvippe multi hoc ſeculo curioſi eſſe volunt, rerum novarum cupidi, pauci verò eruditi. Plura ne ſcribam, tempore excludor. Tu, mi Langelotti, bene vale, & diu publico bono ſupervive, meq; ex aſſe tuum, amare perge. Hafniæ V. Novembr. cIɔ Iɔc LXI.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPIST. LI.

De Ovo, & Fermentatione.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

AUdax jure merito & injurius in bonum publicum videar, qvod obſcurus & inficetus ego homo, importuno literarum alloqvio immortales veſtras meditationes interpellare auſim. Sed qvod in ſcriptis veſtris, cedro digniſſimis, nomen meum ſubinde obſervarem, ſuſtinui frontem ponere, atq; hæc ingenii ſcripta, nec exaſciata nec elaborata ſatis, illuſtri veſtro nomini offerre, qvo, ſi

O recu-

recudantur, limatiora prodire poſſint, ſed à cenſoria incomparabilis Bartholini virga. Multa ad varias diſciplinas pertinentia confecta habeo, affecta plura: Sed agmine Typographorum cincti, laboramus; qvod vix idoneum, eumqve obſeqventem nanciſci qveamus. Uni lucro hoc genus hominum ſervit, & cum illuſtrandæ Reipublicæ literariæ vacare deberet, popello dat operam, cui librorum qvisqviliæ qvam acceptiſſimæ eſſe ſolent. Ringerer magis niſi olim jam hæ qverelæ fuiſſent eruditorum ex Orcheſtra & Qvatuordecim. Si ſupremus Arbiter è cœlo annuerit, Commentariolus de Ovo & Pullo aliqvando juſtum, & qvidem grandius Volumen exhibebit. Diligentiæ Harvei ut plurimum debeo; ita ampliſſimam materiam ingenio, cuncta ad accuratioris Philoſophiæ amuſſim exigenti, ſuppeditat. Gratulor mihi qvod maximus Bartholinus ſua & experimenta & rationes, meæ opinioni (qvæ & Ariſtotelis) de ſtatu ovi in avium utero, opponere dignatus fuerit, nullus dubito, qvin pro ſuo ſingulari candore & humanitate æqvi boniq; facturus ſit, ſi hæc aliqvando modeſtiſſimè examinavero. Hodie exercet me doctrina de Fermentatione. Multum debeo Viris egregiis qvi ante me

hanc

hanc glaciem fregerunt: compellor tamen in pleriſqve in alia omnia diſcedere. Miror viros ſerios tantum tribuiſſe chymicis, ut totam fermè corporis noſtri Oeconomiam ad unius fermentationis regulas, cæterum incertas, componere laborarint. Qvid præſtiterim, propediem publicè conſtabit. Si qvi, noſtro pede nos metiri ſcimus; & videmur qvam belle operam collocaſſe, ſi corculis, qvibus datum eſt ſapere, occaſionem obtulerimus ea explicandi, qvæ duntaxat indicare poſſumus. Qvæ veſtro nomine promittit Typographus, avidiſſimè exſpecto. Nihil prodit, cui celeberrimi inter Arctoos Medici nomen præſcriptum, qvod non è veſtigio percurram. Meo nomine gratias ago pro Obſervationum rariorum libris, in qvibus non modo naturæ ludibundæ varietatem admiror; ſed exercendi qvoq: ingenii occaſiones plurimas offendo. Si ſcirem gratum fore, ſingulares hiſtorias proavi mei Martini Schipperi, qvi ab anno ſuperioris ſeculi ſeptuageſimo, usq; ad tertium hujus, qvod currit, Ultrajectinorum Archiater fuit, ſuppeditare poſſem. Nolui, niſi impetrata antea venia, ne viderer ululas Athenas. Regem me putarem, ſi Te, Vir maximè, aliqvali officio demereri poſſem;

O 2 ultra

ultra hominem vero ſpirarem, ſi aſcribi poſſem duntaxat poſtremæ amicorum veſtrorum claſſi. Qvod dum voveo, raras ingenii veſtri dotes devotè venerabor, ſimulqve Deum rogabo, bono publico diutiſſimè ſoſpitare eum dignetur, cujus opto agnoſci

Humillimus cliens, & cultor ſincerus,

Mart. Schoockius.

Grön. Friſiorum d. 21. Aug.
St. Vet. cIↄ Iↄc. LXI.

EPIST. LII.

De Scriptis Schoockianis. De gallo oviparo.

MARTINO SCHOOCKIO Gröningam.

TAndem deſideratus ille dies illuxit, qvo ad gratum literarum commercium animamur. Tua eſt humanitas, magne Schoocki, qvod ad amicitiam diu exoptatam, me primus invitaveris, qvam diu animo ambivi & tacitâ æſtimatione, calamo exambire hactenus auſus non ſum. Scilicet diffuſæ eruditioni ſummam humanitatem video conjunctam, qva feli-

felici copulâ ad æternitatem pergis. Injurius forem in famam, qvam meritus es, maximam, & in meum genium, qvi Te inter primos ſeculi Scriptores ſemper ſuſpexit, niſi ſummâ gratiarum actione amplecterer oblatam tanto officio à tanto Viro amicitiam auro contra æſtimandam. Accedit inauditæ benevolentiæ Tuæ & alterum beneficium, pari gratiâ penſandum. Nempe pignus amicitiæ intemeratæ illa eſſe voluiſti, qvæ famæ Tuæ fuerant inſtrumenta, ut juncto fœdere inter ſe conſpiraſſe videatur famæ Tuæ & amicitiæ noſtræ æternitas. Neq; majoribus obſidibus poterat confirmari amicitia, qvam qvibus amicum orbem literatum Tibi devinxiſti, adeoq; ipſum qvoqve me. Nihil de Nihilo dicam, qvod eò erudita diſſertatione perduxiſti, ut nomen perdat, nec nihil amplius ſit, ſed maximum, in qvo ſumma authoris induſtria occupatur. Nec Cereviſiam ad partes vocabo, qvam adeò, defæcatam nobis reddidiſti, ut præ iſta negligi poſſint

generoſi munera Bacchi.

Non tangam Ciconias, ne è manibus elabantur, nec Turffas, ne adurant, ignei tui ingenii & ſublimis teſtes. Abripitur mens dum Ecſtaſin Tuam lego, & urbem veſtram

 cogi-

cogitatione intrat doctrinæ & humanitatis ſedem. Ex ovo Tuo tot æternitatis pullos tuo fætu prodiiſſe miror, de qvibus præſtat tacere, qvam Te præſente & ſuperſtite, poſteritatis partes in ſe ſuſcipere. Ego vel eo nomine qvoqve felicior, qvod Schoockio mea placeant, cujus judicio acqvieſcimus. Qvid de Fermentatione commenteris, avidus animus expectat, & ſi Cl. Schipperi obſervationes mihi concredideris, releges eas inter alias qvæ brevi lucem videbunt. De ovo qvia augmentum promittis, monendum duxi, me præter exempla in Centuriis Hiſtoriarum memorata, etiam Hafniæ noviſſe mulierem qvæ duodecima imprægnationis hebdomadâ ovum peperit, ſed ſubventaneum. De ovo galli qvid ſentiendum ibidem qvoq; ſcripſi, niſi me fallit memoria. Ex illo tempore gallum gallinaceum Neoburgi Fionum aluit Ampliſſimus civitatis ejusdem Senator Jacobus Andreas Scefferus, amicus noſter, qvi olim qvoq; apud vos ſtudiorum cauſa vixit & publica eruditionis documenta reliqvit. Hic gallus ovum rejecit. Vix anni unius gallum, artificem tantum, curioſitate ductus aperire juſſit laudatus amicus, invenitq; circa dorſum ligamento annexam membranam, in qva ovum

aliud

aliud latebat. Totum hoc explicatum ad me tranſmiſit. Vidi tunicam exſiccatam oviarii vicariam, cui incluſum ovum vitello & albumine conſtans. Dubitavi qvidem an gallina fuerit; ille verò de gallo eſt certiſſimus. Utriusq; igitur ſexus fuiſſe, vero ſimile ſit mihi, niſi aliter Tibi viſum fuerit. Calamum remoratur loci hujus anguſta pagina, aliàs indicabo qvanti faciam Tanti Viri, ad ſeculi ornamentum nati, & amicitiam & promptam voluntatem. Vale, Celeberrime Scoochi, orbemq; perge illuſtrare ſelectis ſelectorum argumentorum monumentis, & me ama ad qvævis amici vota ſemper tuum. Hafn. xv. Jul. cIↃ IↃc LXII.

Th. Bartholinus.

EPIST. LIII.

Felices Aneurismatum curationes.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

CUm ex Hiſtor. Anatom. rarioribus ſingularem tuam in perveſtigandis morborum ideis ἀκρίβειαν ac de omnibus benè merendi ſtudium perviderem, candidum illum qvidem at oppido rarum, non potui mihi tempe-

 rare,

rare, qvin qvæ de aneuriſmate domi nobis nata ſunt, tecum communicarem, & hiſt. 9. Cent. 2. id eſt, purpuræ tuæ laciniam qvandam aſſuerem, eâ ſpe fretus, te pro decantatiſſima iſta humanitáte tua audaciæ meæ veniæ qvidpiam daturum & qvæ qvaſi poſtliminio in medium profero, benevolo animo accepturum.

Anno 1655. in illuſtri loco hic viciniæ tonſor qvidam fœminæ jam ſexagenariæ arteriam pro vena hepatica in dextro brachio tundit, ſangvis ſtatim profluit cum ſaltu, brachium intumeſcit; Empiricus ſangvinis copiâ ſat largâ pro more emiſsâ qvaſi re benè geſta vulnuſculum conſolidat; Interea tumor ob ſangvinis per arterias in ſpatia muſculorum effuſi copiam indies accreſcit, nec ullis fomentis diſcutitur, ipſo tandem medicaſtro ex deſperatione diffugiente: Menſtruo ſpatio poſt alius adſciſcitur Chirurgus cum Medico, qvi periculi magnitudinem animadvertentes ſtatim adſtringentibus medicamentis & arctâ ligaturâ tanto malo obviam eunt, ſed poſt feſtum & caſſo effectu, veſiculæ enim plures & tumores qvaſi aneuriſmatici circa cephalicam & medianam hinc inde oriuntur, tractuq; temporis ſponte rupti tantam ſangvinis copiam fundunt, ut optimis qvibusq; ſtypticis ac roborantibus

Digitized by Google

tibus diu noctuq; adminiſtratis menſtruo pene ſpatio fluxus iſte perduraret, nec oculis etiam ſagaciſſimis arteriæ vulnuſculum pateret: Hinc in putredinem gangrænoſam abit totum brachium, ac ſangvis grumoſus ovor. gallinar. magnitudine fruſtillatim cum inſigni fætore, caroq; muſculoſa omnis, præter vaſa, oſſa ac perioſtia, qvaſi tabida diffluunt ad humerum usq;, tum demum in conſpectum veniens arteriæ læſæ oſtiolum convenienter obturatum eſt, & caro ablata ſarcoticis probaqve Diæta ſpatio bimeſtri integrè reſtituta ad miraculum usqve. Conſtitit autem hæc ſectiô plus minus 100. imperialibus, qvantum qvidem ex αὐτόπτου habeo, qvi curationi interfuit: Similem ſed funeſtam arteriotomiam peregit tonſor qvidam Bambergenſis, qvi ideò à defuncti propinqvis in jus vocatus, ſed interpoſitâ Medici illius loci celeberrimi authoritate, ab intentato crimine liber evaſit, imprudentiâ, dicentis, hic peccatum, nec tam effectum qvam affectum in irrogandis pœnis ſpectandum, multaq; ſæpe eveniant præter intentionem. Videatur Horſt. Ciſt. Med. qvi ipſe feliciter curavit hujusmodi errorem laudano opiato, & empl. ſtypt. Croll. poſt. Obſerv. p. 250. Et hoc ferè modo curavimus hic aneurisma non minus pe-

riculoſum, qvod fœmina qvædam filium ſeptennem baculo ad ſiniſtram capitis partem, qvâ carotidum tranſitus eſt, graviter percutiens, excitaverat, unde tumor pulſatilis avellanæ nucis inſtar primò nigricans, digitis cedens, ſtatim oboritur, & octidui ſpatio in tantum augetur, ut dimidiam capitis partem à ſutura ſagittali per tempora & frontem ad oculos usq; occuparet: Conſulti Medici anceps remedium certiſſimo vitæ diſcrimini præferendum cenſentes, annuente qvoq; matre, ſcalpello tumorem aperiunt, ſangvinisq; confertim profluentis parte qvadam dempta, qvadam verò arcta ligatura & ſtringentibus cohibita, dum crebrò id agunt, inſeqventibus diebus, ſollicitæ matri unicum hunc filium per Dei gratiam ſanum reddidere brevi; vel qvod in tenellis omnia tenera ſint & coalitu facilia, vel qvod arteria læſa os ſubjectum habuerit, ut arctiſſimè potuerit comprimi ad conſolidationem, hinc arterias temporum & frontis feliciter aperiri poſſe aſſeverat Riolanus Filius in Enchir. Anat. p. 332. & Schenck. l. 5. Obſ. Hildanus aliiq; ſimilia narrant. Vale Nobiliſſimè Vir & vive in ornamentum Artis noſtræ diutiſſimè feliciterq;. Vale cum Nobiliſſ. F. F. Fuireniis meis ex Lyceo Patavino commilitonibus ſvaviſſimis,

& cive

& cive meo D. Joh. Treublero Phyſico Bergenſi; Vale & fave.

N. & E. T.

Svinfurti Francorum addictiſſ.
14. Cal. Sept. 1661.

Joh. Michael Fehr D.

EPIST. LIV.

De Aneurysmate nonnulla.

JOH. MICHAEL. FEHR Suinfurtum.

TRansmiſſi caſus rariores me ad Tui amorem memoriamq; revocant. Aneurysmatis lætum exitum pauci ſpectarunt, adeò ægrè ferunt arteriæ habenas ſibi laxari. Nonnunqvam tamen naturæ robur vitium ſuperat, medicisq; manibus auxiliatur. Arcta ligatura miraculi inſtar ſubinde patentem hiantemqve arteriam conſtringit, ſed operæ eventum in minoribus arteriis tantum experimur. In majoribus enim, qvia tunicæ craſſæ, facilè non rumpuntur, niſi à vehementi cauſa, nec ruptæ conſolidantur propter perpetuum ſpirituoſi ſangvinis affluxum, qvotidie

die increſcit Aneurysma. Facilius qvoq; in arteriæ tunica dilatata, qvam prorſus rupta, ſperata conſolidatio ſuccedet. Deniq; à ſangvine qvoq; ſeu calidiore adeoq; ad impetum promptiore, ſeu frigidiore vel craſſiore ad motum ſegni, pars curationis dependet vel interitus. Qvæ fruſtra Tibi ſuggero, in his exercitatiſſimo. Nos hic nuper lethale Aneurysma vidimus in juvene Nobili ex læſo femore. Nec mirabamur, qvia arteriam magnam cruralem ruptam in apertione vidimus, undè in tantum tumorem femur excreverat, qvaſi prorſus ſcirrhoſum, ut non tantum ea copia ſangvis ex aperto poſt mortem femore effunderetur, qvi tres menſuras noſtras impleret, ſed ex ſinibus inter muſculos vaſtos efformatis ſangvinem grumoſum parenchyma hepatis maximi formâ & magnitudine referentem extraheremus. In iſto vivo nec ſectio tuta erat aut poſſibilis propter magnæ arteriæ & intra muſculos deliteſcentis ingentem rupturam, nec ligatura ſufficiens. Certè Deum ſoleo precari, ut hujusmodi caſus vel avertat vel meæ curæ ſubtrahat, de qvibus Patroclis illud ex *Stobæo* Serm. CX. uſurparim; collegiſſe nempe iſta tam gravia multaq; non verba, ſed mala, in adeò breve vas fortunam.

Cæte-

Cæterum felicia exempla & ego memini, ſed rariora. Non ita pridem exemplum Torgâ ad nos miſit Magnus Naturæ Myſta *D. Jacobus Janus*, aneurysmatis Naturâ magis qvam arte ſanati, qvod alio loco referam. Summa eſt, naturam tumore aliqvo duro in parte læſa procreato ex ſangvine grumoſo, accedentibus etiam repellentibus, & ligatura tolerabili, repreſſiſſe erumpentem ex arteria ſangvinem, ut tandem ſubſecuta ſit conſolidatio arteriæ. Rarius tamen ita miſeris ſuccurrit Natura. Felices qvibus ita favet. Ignoſce qvod plura non ſcribam. Deperditæ fuerant literæ tuæ, & diu in angulo domus latuerant, qvod nuper me aliis literis conqveſtum non ignoras. Igitur pauca hæc ad neceſſitudinem rei addere debui. Vale feliciter, & me porro ama. Haſn. XI. Febr. 1662.

T. T.
Th. Bartholinus.

EPIST. LV.

Cephalalgiæ remedium.

Thomæ Bartholino Hafniam.

Vidua illa in Chriſtiania, cujus hiſtoriam nuper per Studioſum transmiſi, annum imple-

impleverat 49. cum oſſa illa fœtus demortui & putridi excerneret. Nihil addo, niſi qvod nuper modò Nobilem Norwagicum lue Venerea (qvam Hafniâ ſecum attulerat) laborantem, priſtinæ ſanitati (Deo ſit laus!) feliciter reſtituerim, qvi inter cætera tam diræ luis Symptomata, tam immani capitis dolore comprehenſus fuit, ut ſingulis diebus circa veſperam non deliraverit modò, ſed & tam ſævis convulſionibus animiq; deliqviis ita conſtrictus fuerit, ut potius de morte qvam de ſalute cogitarent aſtantes, qvod crudele Symtoma nullis penitus medicamentis internis cedere voluit, donec tandem Emplaſtr. Ran. Vigonis cum Mercurio temporibus adplicarem, ubi miraculi inſtar dolor ille penitus intra dimidiam horam receſſit, ac nunqvam deinde rediit, ſumma cum omnium admiratione. Hiſce vale & me amare perge. Dabam Bergis Norwag. d. 2. Septembr. 1661. feſtinante calamo.

T. T.

Joh. Frid. Treubler D.

EPIST.

EPIST. LVI.

Præcipitati damna in ulcuſculis.

JOH. FRID. TREUBLERO Bergas.

DEprecor culpam qvod ſegnior ſim in reſpondendo. Accepi literas tuas, qvibus raras hiſtorias & obſervationes tuas mecum communes eſſe voluiſti, pro qvo officio gratias ago, & à publico majores mereberis. Releges illas in Centuriis Epiſtolarum, ad qvarum editionem, finitâ non ita pridem Ciſta Medica, propediem me accingam. De Paralyticis mea Commentaria Baſileæ recuſa ſunt. Janſſonius Amſtelodamenſis me ad Anatomiæ meæ novam editionem ex aliorum conſilio animavit, qvod faciam, ubi vacaverit. Alioqvin in re Medica nihil occurrit, qvod ſcribam. Lis nuper fuit orta & mota inter D. *Suabium* Medicum, & Jonam Chirurgum hujus urbis, ſuper curatione pueruli ulcuſculis ſcatentis, qvibus hic præcipitatum adſperſit, unde gravia orta ſymptomata, qvæ D. *Suabius* hiſce Chirurgi remediis adſcripſit. Chirurgus publico ſcripto ſe vindicavit, ſed jam à Facultate noſtra ſententiam *Suabius* illi contrariam impetravit. Qvos juvenes lectiſſimos mihi commendaſti, inter amicos numerabo,

rabo, illisq; tuam in gratiam nunqvam non vacabo, ſi ex uſu illis eſſe poſſint mea officiola, & ſi aliis in rebus meâ operâ indigeas, ſemper illam tibi paratiſſimam invenies. De Chamæmoro veſtro Norwagico mone, an cœlum noſtrum ferre poſſe credas, & qvo modo illi aſſueſcere poſſit. Optarem ſurculos qvosdam pro horto meo, experiundi gratia, qvod te parario non deſperaverim. Vale cum tuis & me ama. Raptim Hafn. 3. April. clɔ Iɔc LXII.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPIST. LVII.

Variæ in Oculis & Naſo obſervationes novæ &c.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

QVod ad intermiſſum diu officium adeo lentus redeam, partim itineri debetur, partim valetudini amicorum admodum imbecilli. Namq; & nobiliorum in vicinis provinciis, urbium luſtratio, multum temporis ſibi vendicavit, & ex itinere nobiſcum

ægrum

ægrum Leidam reduximus Haſebardum: Amſtelodami autem Walgeſteinium graviter decumbentem offendimus, alternis itaq; modo hunc Amſtelodami, modo illum Lugduni viſitando rebus noſtris pro lubitu vacare non potuimus. Uterq; autem jam convaluit Haſebardus Borrichii, Walgeſteinius Burrhi auxilio. Cum in itinere eſſemus pro ipſo, qvem fruſtra qværebam, Deuſingio vindicias illius Gröningæ reperi, qvibus licet mea impugnet verba, ipſum tamen Dominum van Horne aggreditur, & in illum omnem ſuam bilem evomit. Valdè autem acuti ſenſus ſit oportet, qvi tam levem attactum ferre neqvit. Dixi eum Bilſio favere; dixi in opinione de ſalivæ in glandulis ſecretæ origine Bilſio aſſenſum præbere, dixi mirari me, qvod in chyli voce ex Bilſii mente explicanda occupatus iniqvæ poſtulationis Bartholinum accuſet; nec de eo præterea qvicqvam. Hæc verba adeo moverunt eum ac ſi vel graviſſima dixiſſem. Inter alia, in controverſia qvam tibi movit mirè ſe torqvet, & qvæ aliorum reſpectu à te dicta ſolitariè ſumendo ſtatum controverſiæ te inter & Bilſium de chyli per meſaraicas rubras motu eſſe defendit. Sed videtur occaſionem exſeqviarum hepatis aut ignorare aut reticere, & præ-

terea admodum volante oculo ſpicilegium tuum pervolviſſe. Namq; & verus lymphæ à te primum obſervatus motus de throno hepar dejecit, & ipſe in ſpicilegio ſecundo ubi de lymphæ motu Bilſiano agis, in hoc cardine obſervationum tuarum ſalutem verſari ais & rogas ut fidem ſuam brevi exſolvat. Sed his non conſideratis in chyli interpretatione Bilſiana hærens Deuſingius, ut chyli motum è lacteis in hepar demonſtret Bilſius iniqva te conditione poſtulare dicit, ac ſi Bilſius hoc non promiſiſſet; cum tamen in epiſtolica diſſertatione dicat contentum in lacteis ſuccum partim in hepar ferri, partim in thoracicum ductum, ſeq; illud ad oculum demonſtraturum polliceatur. Sed hæc & cætera in reſponſione ad vindicias ejus fuſius diducta videbis: qvam una cum diſputationibus & adjuncto illis, de oculorum glandulis tractatu brevi, favente Deo, habebis: habuiſſes jam dudum, niſi varia etiam præter ante memorata impedimenta moram mihi injeciſſent. Dum autem his occupatus ſectiones interdum ad partes voco, qvædam non ante viſa mihi ſe offerunt. Nam præter varia ſalivæ vaſa, & illa lachrymalia in glandula oculi externa jam ante obſervata etiam in lachrymali caruncula duo ejusdem generis vaſa obſer-

obſervavi, ad cartilaginis latera utrinq; unum, qvæ ſtylum nullo negotiô admittunt. De punctorum lachrymalium continuatione admodum manifeſta nihil addam, cum eam tibi à Clariſſ. Borrichio jam ante ſignificatam exiſtimem, & brevi cum tractatu de glandulis oculorum de illa plura ſis viſurus. De alio verò excretorio vaſe qvod in narium tunica non ita pridem obſervavi, dubia qvædam occurrunt, de qvibus à te informari optarem. Cum enim in ovillo punctorum lachrymalium continuationem accuratius examinaturus narium oſſa effringerem, vidi remotis oſſibus in narium tunicâ vaſculum lymphaticorum inſtar ſplendens anteriora verſus decurrere ideoq; pro lymphatico reductorio habere cœpi. Cum verò naribus ſectione apertis, ſupra manifeſtum continuati punctis lachrymalibus meatus egreſſum, foveam vel ſulcum anguſtum & nigricantem, per qvem in prædictum vas viam ſeta patentem invenit, notarem, & accuratius locum, ultra qvem ſeta penetrare non valuit inſpicerem, patuit ex radicibus qvas ibi agit manifeſtis lymphaticum excretorium eſſe. Mirum autem in tunica non craſſa à minutulis iſtis glandularum portionibus tam elegans prodire. Sed magis miror, qvo fine humor ibi

ſecretus ad narium extrema deducatur, cum oſtium ejus vix ad digiti latitudinem inde ſit remotum. Dicerem excrementitium eſſe, ſed videmus in aliis corporis noſtri partibus excretum per ejusmodi vaſa humorem certo uſui deſtinatum, nec planè excrementitium eſſe, hic autem cum vix extra canalem ſuum ſit, qvin ſimul ſit extra corpus, non video cui uſui poſſit eſſe, ideoq; nec nomen illi invenio. Qvod ſi itaq; tuam mihi hac de re ſententiam communicare dignatus fueris, magnô tua in me merita cumulô augebis. Præter hæc etiam Bilſii experimentum de motu chyli, cum Amſtelodami eſſem, imitatus ſum ſed illam in ſangvine diverſitatem non inveni licet ad tertiam horam in vivis detinuiſſem canem, qvi vel integrum diem in hoc tormento vixiſſet; Sed cum unica vice tentaſſe non ſufficiat ad certi qvid concludendum primà occaſione idem ſaxum volvam, licet fatear me tam longis cruciatibus non ſine horrore illos torqvere. De Philoſophiæ certitudine multùm gloriantur Carteſiani: vellem ita certò mihi perſvaderent, ac ipſi ſunt perſvaſi, nullam eſſe brutis animam: nec differre utrum bruti vivi nervos an automati, qvod actu movetur, chordas tangas, diſſeces, uras: vivi enim animalis viſcera, & vaſa ali-

ſa aliqvot horis ſæpius & libentius rimarer, cum multa videam inqvirenda, qvæ aliâ ratione non licet exſpectare. Vidi aliâs etiam in eodem ſubjecto thoracicum ductum deſcēdenti à colli glandulis lymphatico continuum eſſe (ſtylus enim per illum immiſſus ad medium fere hujus aſcendebat ulteriorem progreſſum impediente valvulâ) nec in axillarem immediatè ſe exonerare, ſed in utriusq; ductus concurſu (qvô etiam plura alia confluunt) alium formari canaliculum, qvi in gyrum ſinuatus circa axillaris, jugularisq; confinium ſe in ſangvinem exonerat. Per hunc ex venis tum in thoracicum ductum tum in lymphatica reliqva ſangvinem variè vaſa illa agitando tandem vi qvâdam coëgi refluere, ut eâ de re certior eſſem. Sæpius ante ſtylo in axillarem per thoracicum viam in canibus fruſtra affectavi, nec unqvam dinſtinctè adeo ac tum temporis progreſſum ejus continuare valui. An ſæpius & certâ qvadam viâ eadem obſervare licebit, proximâ occaſione, ſi Deo placuerit videbo. Bilſius etiamnum ſilet, nec ſcio utrum feriæ caniculares à maledicendo vacationem illi conceſſerint, an in perpetuum ab illo opere ſit feriaturus. Qvod publica ſpectat, nihil in præſens ſcribenti ſe offert, niſi, qvod febres hic

plurimos invadant, qvorum multi non tam morbi vi qvam propriâ culpa ſuccumbunt. Nec dum enim ulla malignitas obſervata, nec ullæ conſpectæ maculæ; Amſtelodami tamen, qvam hic magis ſæviunt, & retulit mihi ante paucos dies Clariſſ. Golius ſibi à Medico qvodam Amſtelodamenſi per litteras relatum, unâ & eadem nocte plusqvam centum homines febri correptos ſine tamen ullis gravioribus ſymptomatibus. Sed nimis forſan te detineo, Clariſſime Vir, qvare hic abrumpo & te cum tota familia tua valere jubeo, qvam humaniſſime rogans tuo me amore & patrocinio fovere pergas & qvas feſtinans manus declinare non potuit maculis iraſci parcas. Dab. Lugd. Bat. Anno 1666. 12. Sept.

Clariſſ. Borrichius Te Tuosq; T. qvam officioſiſſimè ſalutat.

Obſeqvent. Diſcip.

Nicolaus Stenonis.

EPIST.

EPIST. LVIII.

Uſus Vaſis novi in Naſo.

Nicolao Stenonio Leidam.

Sic in dies nova gloriæ tuæ ſuccreſcit materia, qvia calamus tuus & oculi perſpicaces feriari neſciunt. Optarem verò Tibi inter tot laudum tuarum titulos, etiam Deuſingii applauſum, qvi Tibi offenſus videtur, neſcio an tui cauſa. Mihi certè inuſitatum amorem ubiqve teſtatur, ut ea propter in Vindiciis Tuis eum blande tractari mallem. Qvæ in defenſionem noſtram prorſus benevolo animo profers, pro ſingulari in me affectu interpretor, qvem nullo non officio demereri conabor. Bilſio nihil me præter mentem illius affinxiſſe, tam certus ſum qvam qvod ille demonſtrare non poſſit chyli ex lacteis ad Hepar tranſitum immediatum. Excretorium vas in narium tunica à poſtica parte verſus anteriora procedens, novum eſt, Teq; inventorem ad aſtra vehet. Qvid de eo ſentiendum, apertè dicere non auſim, anteqvam oculis viderim. Lymphaticum eſſe fateris, & lympham ea propter expurgare, ab arteriis cerebri excretam, qvam etiam non pauci ex naribus ſtillantem experiuntur, reſeratis forſan oſculis, præſertim in

frigidioribus, ſenioribus, & hyemali tempore. Hinc qvoq; Polyporum fomenta deduci poſſunt, aucta lympha ex hoc vaſe, qvos adſtringentibus ea propter optimè curant ſupernè revellentibus, vel exſiccantibus. An narium ſtillatio in phrenitide perniciem oſtentans huc referri poſſit, alii viderint, de qva *Hippocrates* l. 1. Prædict. n. 1. An deniq; ſit excrementitius iſte humor, non dubito, qvia vas ad extremum ferè naſi deſinit, niſi recurſum ejus ad ſuperna notaveris. Nec id mirum eſſe debet, qvippe inter alia naſi officia, etiam illud à Medicis recenſetur, ut per ejus cavernas purgamenta cerebri defluant, qvod Lactantius c. 10 de opif. Dei repetit. Addo ego, ut lympha munere ſuo functa ex corpore hac via evacuetur. De brutis liberius differere poſſum, in qvibus ſolis hoc vas naſi obſervaſti, per qvod irrigantur oſſeæ narium partes grandiores. Imò hinc cauſa reddi commodè jam poteſt, cur ſemper nares brutorum, bovis, ovis, canis &c madeant. An ad odoratum brutorum exqviſitum aliqvid conferat, ulterius disqvirendum eſt. Certè excellunt bruta odoratu, qvo etiam indigent ad pabuli ſalubris delectum. Tantaq; eſt canibus odorandi vis, ut ad longius remota cadavera accurrant, & ulu-

ululatu ſæpe funera præſagiant, qvia cadaverosum ægrorum odorem naribus percipiunt, & deſiderio illius tenentur. Ut adeò dicere deBrutis non debeamus, qvod de Homine Doctiſſimus *Lindanus* veſter c. XII. Med. Phyſiol. nempe odoratum nobis voluptati magis qvàm necesſitati datum. Sine ſanitatis qvidem jactura multi odorandi facultate carent, nonnulli fætida ſentire non poſſunt, qvia alimentorum delectum habere ex ratione poſſunt; At bruta eo carere non poſſunt, qvorum igitur nares perpetuò humore diffluunt. Hinc obſervavi illos homines odoratum nullum habere, qvibus ſiccæ ſunt nares. Qvod de lymphæ hujus humiditate intelligendum, neutiqvam de catarrho alio craſſo, qvi odoris impedimenta objicit, obtunditq; nobilem ſenſum. Ita in re obſcura divinare licet, Tu de iis rectius feres judicium, deq; Tua creatura ſtatues prout obſervationes plures Te docuerint. Ego enim hac parte cœcus de coloribus tuis judico. De ductus thoracici inſertione certiora vellem experimenta. Canaliculum enim iſtum Tibi viſum, fateor me non animadvertiſſe. Nolim tamen rem negare, ſi conſtanti obſervatione perpetuitatem inveneris, qvia ſæpe

ludit natura in individuis, nos etiam non rarò deludit. Tu porrò ſcrutare abdita naturæ ut verum invenias, noſtriſq; lymphaticis augendis ſtrenuè incumbe. Ut tandem poſt tot præclara inventa Anatomica, niſi more ſuo ingratum ſit ſeculum, de Te *Comici* illud dicatur in Bacchid.

Hunc hominem decet auro expendi,
huic decet ſtatuam ſtatui ex auro.

Profectò ſi aurum vel nolint vel non poſſint mortales, laurum eruditi non denegabunt. Vale mi Stenone, & feliciter rem cœptam gere. Hafniæ X. Nov. 1661.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPIST. LIX.

De mictione lapidea.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

QVod inter doctos haut infreqvens eſt, nempe ut mutuo ſcriptionis genere ignoti familiaritatem ac notitiam ſibi invicem concilient, id hiſce qvoq; tentare decrevi maximè cum me incitet Excell. Tuæ fama tot

editis

editis hactenus ſcriptis Reipublicæ Medicæ totiqve orbi erudito perqvam nota percelebrisqve: ut non ſemel divinas animi tui dotes intimius veneratus ſim, qvod adhuc juvenilibus annis tam ſolidè graviq; judicio elimaveris tot editas à Te operas, qvas ne ætate qvidem confirmatior, aut ſenili prudentia clarus, doctius acutiusq; in lucem emittere potuiſſet. Eqvidem cum Parentis tui beati ſcripta & Philoſophica & Medica conſidero, qvamqve maturo ſint conſcripta judicio, qvanta verò felicitate ejusdem acumen ipſe ſis æmulatus, ſi non ſuperaveris, haut injuriâ in Te qvadrabit Horatii illud: Fortes creantur fortibus & bonis. Hæc dum ſcribo, Vir ingenioſiſſime, non palpum tibi obtrudere aut in os Te laudare animus eſt mihi, me enim ab adulationis vitio planè alienum eſſe, norunt omnes docti, qvi me norunt. Hoc ſolummodo intendere volui, ut Excell. Tuæ conſtaret, haud minimam eſſe illius exiſtimationem ac laudem in noſtris oris. Macte igitur hac virtute Medicinæ Antiſtes venerande, ac artis noſtræ publicum egregium Scriptis tuis ulterius condecorare perge. Ne verò amicitiæ tuæ ſacrario planè me ἀσύμβολον inſinuem, ecce mitto raram morbi faſcino inducti

inducti hiſtoriam, cui αὐτόπτης interfui, ac ſubinde qvantum per occupationes alias licuit curſum ejus obſervavi. Licet verò non me lateat id genus plures apud authores paſſim deſcribi, placuit tamen hanc meam rudi Minerva delineatam, ſimulq́; lapillos à morbido puero excretos, communicare. Agnoſcat exinde Tua Excell. adfectum candidi Germani, qvi eandem ob raras animi dotes, ut par eſt, ſummè veneratur: Et ſi meretur hic caſus centuriis Tuarum Obſervationum adhuc evulgandis, inſeri, lubens id permitto, gratulorqve mihi impensè. Plures alias haut vulgares Hiſtorias Medicas adhuc habeo, qvas communicare non grave mihi erit, modo hanc miſſam Te æqva fronte accepiſſe cognovero. Vale ô & præſidium & dulce decus Artis Aſclepiadeæ. Dabam in Muſæo meo Gryphiswaldi 14. Sept. Anno M DC LXI.

Excell. Tuæ

dicatiſs.

Joh. Heunius Med. D. Profeſſor Acad. Gryphiswald. & Senior in Facultate.

Hiſtoria

Hiſtoria hæc eſt:

Puer qvidam decennis tabellarii publici hic loci, filius, aliàs benè valens, incidit in morbum cum variis ſymptomatibus: inflatione nimirum totius ventris, dolore lumborum artuumq; inſigni, tetano univerſum corpus à capite ad calcem usq; corripiente, ſenſibus principibus interdum læſis, interdum mente benè conſtante: aderant qvoq; leipothymiæ graves, & cordis palpitatio, vocis interceptio, ut & nonnunqvam inſultus epilepticus: Febris nulla, niſi calor præternaturalis levis, ob motum humorum in paroxysmo potius ſe exerens, qvi nunc per biduum aut triduum, nunc poſt ſeptimanam denuo invadebat: ſic ut malum haut ſtato tempore recrudeſceret. Remittente paroxysmo ad 3. vel 4. horas durante, fuerunt deprehenſi in urina lateres vel ſilices minores, ægerq; ſimul monuit inhærere recto inteſtino lapidum vel ſilicum majora fruſta, ſicut ex transmiſſis apparet, qvæ recrementis alvi perpaucis infecta fuere, ſæpius nullis, ſed pituita qvadam mucoſa, imo tactu frigida. Mirum autem erat, qvod morbus hic ex incantatione oriundus, nihilominus leniri qvodammodo videbatur, ſi Mater filio ſuper dolore intenſiſſimo conqverente circa

veſi-

veſicam, parum ſuccini albi cum aq. hypericonis vel ſaxifragiæ exhibuit, qvod lapilli iſti facilius per urinam exierint. Duravit hic affectus per tremeſtre. Originem traxiſſe hunc affectum à veneficio citra dubium eſt, cum lapillos tales nunqvam in corpore humano generatos fuiſſe veriſimile ſit, ſed potius à Diabolo in corpus ægroti immiſſo. Et anus qvædam ſuſpecta à pueri matre aſperioribus verbis laceſſita, ſponte tandem ad curationem ſe obtruſerit ſvadendo Laconicum per vices repetendum cum herbulis qvibusdam, qvas ſponte ſubminiſtravit ipſa, puerumq; facili negotio curavit. Pondo omnium iſtorum lapidum, per anum & urinam excretorum fuit duodecim unciarum cum dimidia, qvorum nonnulli precibus amicorum jam ſunt diſtracti, reliqvis apud me adhuc ſuperſtitibus.

EPIST. LX.

De Puero calculos mejere ſimulante. De Morbo Magico.

JOHANNI HEUNIO Gryphiswaldium.

OBlatam tantâ humanitate & tanto officio amicitiam hilari fronte animoq; amplector,

ctor, qvam ipſe hactenus tacitus mihi exoptavi. Tui ſimilibus innoteſcere & placere, ſumma hactenus contentione, ſed honeſtâ, allaboravi. Deo ſit laus, qvod voti mei compos ſim factus, ut meliorum obtinuerim amicitias, qvi aliter animatos ne titivillitio dignos æſtimo. Tibi igitur, Vir Clariſſime, ingentes gratias ago, partim qvod officioſis literis me dignatus ſis, partim qvod raram hiſtoriam adjunxeris, lectorum oculis digniſſimam, qvam in Centuriis Epiſtolarum, brevi edendis magna nominis Tui fama reponam, ut ad plures rei curioſitas deveniat. Similis ferè puer non ita pridem hic Hafniæ comparuit de qvo narrabo ea qvæ reſcivi. Ex Cimbria calculi ſaxei multi magnitudine conſpicui à puero per urethram ejecti ad Sereniſſimum Regem noſtrum non ita pridem mittuntur. Ut rei veritas eſſet manifeſta, puer ipſe accedere jubetur, & ne fraus occultaretur, ſolus ſine fratre, qvem comitem ſibi adduxerat, in arce Regiâ cuſtoditur. Juſſu Clementiſſimi Domini & Regis mei, puerum diligentius inſpicio. Magnâ verò confidentiâ non raro certis periodis calculos diverſæ magnitudinis per lotium ſibi excerni aſſeverabat, præcedente ſemper animi qvadam commotione & veluti convulſionibus comitantibus. Calculos

culos ſaxea ſoliditate in rei fidem produxit, qvos aſſervaverat, ſed qvia nonnulli nucem juglandem ferè æqvabant, per urethræ latus vi viam factam, levi cicatrice demonſtravit. Fraudem tamen ſubeſſe eventus docuit. Nam ſeclusus à fratribus & amicis in cuſtodia arcis, ſimulabat qvidem nonnunqvam oculorum torſione & doloribus neſcio qvibus in ingvine, & advocatis Medicis perſvadere voluit imminere paroxysmum calculoſum, ſed ſæpius repetitis conatibus, in auras omnia evanuerunt. Tanta tamen fuit Regis, Regum optimi, clementia, ut veniâ ſupplici data, ad aſtum hunc ab amicis inopiâ laborantibus edocto, juſſerit honeſto opificio regaliter deſtinari. An ſimilia de Tuo puero ſuſpicari liceat, ignoro. Qvod ſi ipſe excerni calculos videris, de veritate non dubitarem. Aliàs ſæpe nobis ægri imponunt. Qvidqvid ſit, in Tua hiſtoria calculorum, durities admirationi eſt, nam magnitudo inuſitata non eſt. Cauſam valdè ſuſpectam habeo. Incantationi enim parum fidere ſoleo. Neſcio tamen qvomodo illi tantum tribuat mortalium credulitas, ut vel naturales effectus vel ingenioſorum fraudes illi imputentur. Sed moribus ſeu opinionibus receptis hoc qvicqvid eſt, concedimus. Ut par pari reddam, mitto Tibi ob-

bi obſervationem de Morbo Magico, qvam propriis oculis confirmatam ad me nuper miſit *D. Dietericus Eckhovius* Medicus Bergenſis Eruditus, olim diſcipulus, jam amicus.

Bergis puerum XIV. annorum ante biennium totius corporis laſſitudo doloroſa corripuit, cum ulceribus, qvæ una cum pure modo oſſicula, modo piſcium ſpinas emiſere. Sex forſan elapſæ ſunt ſeptimanæ, ex qvibus in ſingultum incidit valdè horrendum, qvo ungves, qvos pili omni ferè ex parte inſtar funiculorum partim circumvolvebant, partim inter ſe connectebant, aciculas incurvatas ſibi invicem catenatim inſertas, globulos ferreos & ſtanneos, tandemq́; ligni fruſtum longitudine dimidium pollicem æqvans cum ſeqventium literarum levi inciſcione S. M. P. D. rejecit ſummo ſpectantium ſtupore & admiratione. In paroxyſmi principio dolorem qvendam in digitis ſurſum, paulatim crus petentem, cutemq́; inſtar muris erroneo motu mox attollentem, moxq; deprimentem percepit; qvem mox (ſi tamen ita appellare liceat) digitorum motus convulſivus eſt ſubſecutus, organotriben, vario digitorum flexu muſicum qvoddam melos ludentem, perfectiſſimè æmulans. Venter interea & pectus fluctuum more undoſo motu mi-

râ viciſſitudine modo elevabantur, modò ſubſidebant cum cervicis reflexione admodum tortuosâ. Hæc tandem enumerata ſymptomata finiit ſingultus, jam nominata artificialia ventriculo exturbans, eâ lingvâ dentibus(qvos arctiſſimè claudebat, neq; unqvam, niſi digitum ori admoventis, eaq; qvæ intra dentes latitabant, eximere volentis admorſurus, movebat) agitatione varia allidendo ingratum movit ſtrepitum. Cuncta autem qvæ ventriculo ita egurgitavit, bis iterum deglutiit, repetente interim prædictum ordinem totâ ſymptomatum ſerie, qvæ, tertio tandem convulſivo ventriculi motu finito, ægrum torqvere deſierunt. Difficillimum tamen fuit aciculas, ungves &c. qvos lingvæ extremitas ore ſubinde exſerta continebat, excutere, cum qvamcunq; aſtantium ſummam etiam manuum agilitatem ſubitaneâ lingvæ retractione eluſerit, dentibusq; petierit, ut etiam vix nec ſine periculo digitum morſui ſubtrahere potuerint. Et hoc omne oculis peregit exactè clauſis. Aciculis reliqvisq; tandem decuſſis inſtar rabidi canis qvodq; qvod obvium, dentibus invaſit, ſicq; aliqvot horas viribus admodum fractus ſummâ cum imbecillitate jacuit. Viribus tandem aliqvomodo collectis totam diem & no-

ctem

ctem qvietus, ſanoqve non multum diſſimilis tranſegit. Venefica, cui nomen Syrnewee (qvod primâ ligno inciſâ literâ S. indigitare voluit pueri cognata) non ita pridem carceri eſt tradita, qvæ tamen ſibi ipſi ante inſtitutum à Magiſtratu examen linteamento qvodam gulam fregit. Rogum tamen, qvem viva evaſit, ſenſit mortua, adſpectante idipſum puero, qvi æger viri robuſti brachiis ad locum ſupplicio deſtinatum aſportabatur: qvo tempore æger ab omni incantatione Dei beneficio liber adhuc dum optimâ fruitur valetudine. Reliqvas literas M. P. D. autumat pueri conſobrina deſignare mulierculam qvandam, qvæ ſupra nominatam ſagam ad facinus hocce perpetrandum inſtigavit.

De hujusmodi Magis qvid credas, haud ſcio. Id ſcio me parum credere, nec mihimet credere qvanqvam præſens viderem præſtigias. Qvippe & qvi ſolertiſſimi & acerrimi Philoſophorum fuerunt, ne iis qvidem confidendum eſſe ajunt, qvæ videmus. Igitur ubi rationes jacent, judicium ſilet, & ego melancholicorum figmentis hæc annumero. Gratum tamen feceris, ſi hujus commatis plura ex fæcundi ingenij & experientiæ diffuſæ loculis mihi transmiſeris, qvotiescunq; vel internun-

ciorum commoditas, vel otium tuum permiſerit, qvod publico bono dicaſti. Interea vale, Vir celeberrime, & cœptæ amicitiæ fomenta crebris literis ſuggere. Hafniæ IX. Apr. cIↄ Iↄc LXII.

T. T.

Bartholinus.

EPIST. LXI.

De muliere ſingultiente.

Thomæ Bartholino Hafniam,

GEORGIUS SEGERUS

Thorunensis.

NOn ſine magnâ admiratione Nobiliſſimi Bilſii repetitos inſultus hiſce diebus vidi. Vidi tamen etiam qvæ ei pro merito repoſuit Cl. Nicolaus Stephanus. Sic ſanè ſimiles habent labra lactucas; qvæ forſan temperabunt commotæ in Bilſio bilis acerbitatem, modo ſint ad guſtum. Interim crede mihi, Bilſium hiſce ſuis contentionibus verbalibus plus propriæ detrahere famæ, qvam ſi plurimis pro merito reſponſionibus reprimatur ab aliis. Tu verò Vir Clariſſime apud omnes bonos laudem

dem mereris, qvi à futilibus hiſce contentionibus Te ſeparas, Bilſioqve res ſuas remittis. Nuper ex Clariſſ. Deuſingii literis Bilſium multa præſtare poſſe didici. Qvæ qvia vera eſſe ſcio, id unicè opto, ut Bilſius impoſterum ſedatiorem retineat animum, qvo ſcientiam ſuam, absq; Virorum Clariſſimorum famæ arroſione, divulget. Nuper ab Illuſtriſſimo Mannagetta adjacentem rariſſimi Caſus Hiſtoriam, ſibi Bruxellis ab Archiatrorum ibidem Comite Chiffletio miſſam, obtinui. Is idem Vir ſummus, in omnibus ſuis literis humaniſſimè Te ſalutat, Tui certe amantiſſimus. Hiſce in locis nihil inter Eruditos occurrit qvod Te ſcire interſit, niſi qvod Paralytici Tui prælum noſtrum propediem ſint exercitaturi, cum eos plurimi hactenus deſideraverint, ipſeq; Illuſt. Mannagetta. Si qvid in iis mutandum eſſet, velociſſimo jube calamo, urget namq; bibliopola, atqve hac ſeptimana impreſſionem inchoabit. Cum ante paucas ſeptimanas fodinas imprimis metallicas in vicinia viſitarem, & inde per Montbelgardum (ubi prudentiſſimum totius Germaniæ Politicum, Dominum Chriſtophorum Forſtnerum, Sereniſſimi Ducis Montbelgardenſis Cancellarium ſalutavi;) Bruntrutum me conferrem, non procul à pago

go Montbelgardenſi Haudincourt obviam mihi venit vetula qvædam, reculas ſuas in capite gerens, ſemperq́; & fortiter ſingultiens. Hæc à me interrogata, qvamdiu hac moleſtia moleſtata fuiſſet, ultra integrum reſpondit biennium. Idem affirmavit & ruſticus qvidam mihi tum occurrens, qvi eam à Dæmone obſeſſam aſſerebat. Qvæſivi ex eo, utrum tumultuosè & pro horum mortalium more impetuosè ſe gereret; qvod ille negavit. Obſervavi autem ſingultum inter loqvendum intermittere, dein vero velociorem redire, ac ſi qvod intermiſſum erat compenſare vellet. Noctu qvoq; inter dormiendum minimè ſingultit. Si per otium licuiſſet, accuratius vetulam dictam examinaſſem. Nam licet omnes pagi ſui incolæ eam pro obſeſſâ habeant, ipſe qvoq; Sacerdos aliqvoties jam aqvam luſtralem pro Satanæ remotione, fruſtra tamen, adhibuerit, ego tamen non ad ſupranaturales hujus morbi cauſas recurrendum eſſe, vel ex actionibus ægræ, conjicio. Sed Hippocrates meus, qvi omne ſibi jam vendicat tempus, me brevem eſſe jubet. Salutat Te qvam humaniſſimè Acutiſſimus Spleiſſius, qvi per aliqvot dies nobiſcum hic vixit. Tu vero Patrone colendiſſime optime vale, mihiq́;

mihiq; ſave. Dabam Baſileæ d. 11. Novemb. 1661.

EPIST. LXII.

De editione Hippocratis. De utero putrido. De ſuperfœtatione Trimellorum, illorumq́; ſecundinis.

Georgio Segero Baſileam.

PUdore ſuffundor qvod & diligentia & officio me antevertas, ſæpiusq́; doctiſſimis tuis literis interpelles, qvam ego negligentior reſpondere qveam. Qvartas literas heri accepi, & rectè qvoq́; ex ordine priores, una cum miſſis opuſculis tuis varii argumenti & haud tralaticiæ eruditionis. In Triumpho tuo Cordis ſtrenuè Cor vindicaſti, meq; Tibi devinxiſti. Ingens eſt alter tuus in Hippocrate edendo conatus, qvo ſolo nominis æternitatem mereberis. Non dubito qvin ad guſtum Lectorum ſit futura editio, modo accedat chartarum grandiorum nitor & typorum elegantia, qvæ alias Belgarum editiones ſolent commendare. Præterea in vaſta volumina excreſcet, niſi in unica verſione acqvieveris, qvæ Tyronibus ſufficit, qvorum in gratiam hæc

opera impenditur. Reliqva tua opuſcula lectu digna ſunt, authoritatemq; ſibi vel eo nomine conciliant, qvia pro *Hippocrate* ſunt, omnium bonorum nobis autore, ſicut loqviter *Galenus.* Peſſimè enim ſtudiis ſuis conſulunt, qvi ita recentiorum ſcriptis ſe immergunt ut veteres vel negligant vel contemnant, qvum plerarumq; rerum lux ex illis pendeat. Pleraq; certe recentiorum inventa apud veteres per nebulam adumbrantur. Vaſorum tamen Lymphaticorum cognitio vix noſtram præceſſit memoriam, qvanqvam aliqvid videar colligere ex *Hippocrate* l. 6. Epid. ſ. 3. §. 4. ubi aqvæductus nominantur, ex qvibus ſudor guttatim effluit. Tu judica qvi in *Hippocrate* totus occuparis, qvid ὀχετοὶ ſint, qvos rectius per canales ſeu aqvæductus qvam per interruptos poros accipimus. Qvod verò Paralyticos meos Typographo veſtro recudendos tradideris, majorem à me qvam à publico gratiam mereris. Ego qvidem iterato prælo nunqvam dignos judicavi. Qvia ita Tibi viſum fuit, rogarem, ut Annotationes ſuis Hiſtoriis ſubjungeres, ita ut Annotationes meæ ad Paralyticum Primum ſtatim ſubnectantur Hiſtoriæ Paralytici primi, & ſic de cæteris. Pauca alia mutanda cenſeo, quæ breviter hac charta incluſa

cluſa ſignavi, inprimis Annotationibus primis addendum teſtimonium Radzivilii ex Epiſtola ſecunda de Peregrinatione Hieroſolymitana, qvi veſtigia Piſcinæ Probaticæ vidit, in cujus fundo qvoddam erat arundinetum. Pergrata eſt benevola ſalutatio ſummi Medici *D. Manigettæ*, qvam officioſiſſimè per Te Æſculapio Germaniæ remitto. In Anatomicis nihil ferè apud nos jam occurrit. Feriantur enim iſta ſtudia. Nuper tamen in præſentia Sereniſſimæ Reg. Majeſt. canibus duobus lienem innoxiè exemit Chirurgus Regius. *Stenonius* noſter in obſervationibus novis ſtrenuè pergit, præter enim ſalivales ductus exteriores duplici diſqviſitione publicè illuſtratos, multa invenit vaſa nempe nova in caruncula lacrymali, vas excretoriũ in tunica narium extrema, & alia qvæ in Diſſ. de oculorum glandulis orbi erudito promiſit. Meditatur qvoq; Vindicias in Cl. *Deuſingium* neſcio qvibus de cauſis ipſi adverſum. Ipſe ego Diſſertationem de Hepate defuncto prælo commiſi, oppoſitam laudato *Deuſingio*, qvi nupera Diſſertatione Epiſtolica de Hepatis Officio, amicè mihi inſcripta, antiqvum Hepatis munus reducere conabatur dubiis Bilſianorum experimentis ſeductus. Ad umbilicum perduxit Typographus noſter Ci-

 ſtam

ſtam meam Medicam, cui addidi brevem Anatomicæ domus Hafnienſis deſcriptionem, in qva & nomen tuum invenies mihi ſemper laudandum. Qvas miſiſti obſervationes oppidò raras, charæ mihi oppidò fuerunt, inprimis ultima de fœtu poſt annos ſexdecim graviditatis exſecto, in qvo tantum id obſervandum, qvod uterus cum cæteris abdominis partibus fuerit connatus, vel forſan, qvod conjicio, prorſus putrefactus, qvale exemplum qvoqve ſuppeditat *Horatius Augenius* l. 2. de Homin. Part. c. 27. De Muſſipontano fœtu ad Cl. *Horſtium* plenius ſcripſi, qvod cum aliorum reſponſis nuper edidit *Strauſſius*. Nihil qvod pro tuis reddam, jam ad manus eſt. Niſi qvod in vicinia noſtra uxor militis paupercula, mater antea 8. liberorum, trimellos nudius tertius pepererit, ſed abortivos, primam filiam die Lunæ, medium filiolum die Martis, tertiam filiolam Jovis die. Ter hæc verius enixa dici poteſt, qvia tempus interceſſit, aliàs Ter enixa videtur, *ff. de Verb. ſignif.* §. 137. etiam qvæ trigeminos peperit. Unica ſecundina ampla omnes tres gaudebant, qvæ die Veneris tanto cum dolore prodibat, ut crederetur qvartus fœtus ſupereſſe. Una igitur placenta Uterina pluribus embryonibus ſufficit, qvod in *Ana-*

tome

tome Reformata l. 1. c. 36. monueram, conſentiente *Mich. Rup. Beslero* in Hiſt. Trimell. Diſtinguit qvidem *Riolanus* in Anim. ſecund. ad Anat. noſtram, inter gemellos ejusdem ſexus & diverſi, illos communem habere placentam eandem, hos propriam. Qvem trimelli noſtri, diverſi ſexus, ut dixi, refutat. A partibus noſtris ſtat *Th. VVhartonus*, qvi tamen c. 35. Adenogr. unam iſtam gemellorum cujuscunq; ſexus placentam lineâ conſpicuâ in duas partes diſterminari, accuratè obſervavit, ut unius medietas uni funiculo umbilicali, & alterius alteri evidenter ſit appropriata. Qvod triplex diſcrimen an in placenta hac noſtra trimella, obſervatum ſit, dicere non poſſum, nam tantas inducias feſtinans pauperculæ mulieris ſuperſtitio ad inveſtigationem mihi neutiqvam indulſit *Beslero* nihil tale viſum, ſed ramulos umbilicalium diverſos per anaſtomoſin jungi obſervatum. Sed chartæ anguſtia excludor. Unum adhuc ſcias, nobiscumq; doleas. Exceſſit *Bangius* noſter. Tu verò feliciter diuq; vive & vale. Saluta Magnos Viros Stupanum & utrumq; Bauhinum, Patrem filiumq;, & qvando per litteras dabitur occaſio, Bogdanum meum, Wepferum, Spleiſſium, veteri amicitia mihi conjunctos. Fratres mei & D. Möi-

nichen

Digitized by Google

nichen Te qvoq; ſalvere jubent, nam Wormius adhuc Romæ degit. Vale, Hafniæ 3. Dec. 1661.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPIST. LXIII.

De Uſu aperiendi Corticum Granatorum.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

QVidni de Tua mihi amicitia gratuler, qvæ tot me ſvaviſſimis literis beat. Poſtremæ illæ tuæ qvam me affecerunt, refertiſſimæ iis, qvæ grata mihi noſti & accepta, qvæq; præ aliis in deliciis habeo, qvando animum hunc Praxeos laboribus defeſſum reficere libet. Qvid canibus illis, qvorum Lienem exſectum ſcribis hactenus evenerit, numq; commodè ſatis vivant, & aliis celeritate præſtent, ſcire geſtio. Cætera ſi ſalva ſint, non dubito qvin curſus futurus ſit expeditior. Notum, qvæ lien plus nimio commotus incommoda adferat. Laudo qvod Bilſii ferocientem animum pro merito caſtigandum eruditiſſ. *Stephanio* commiſeris. Fecit is qvod ſui fuit muneris accuratè ſatis & nervo-

nervoſe, admiſtis unà aculeis, qvi me valdè oblectarunt. Gratulor Tibi raram illam tuam felicitatem, qvod tantis hactenus in Artem noſtram meritis illuſtris, nunc qvoq; tot ei ſiſtas diſcipulos adeò feliciter Te æmulantes. Mirum ductus ſalivales Whartonianos nuper à tuo diſcipulo *Nicol. Stenonis* auctos tam diu lynceos tuos aliorumq; oculos effugiſſe, qvum tamen ad oculum nunc ſatis pateant, & qvod majus eſt, accuratè Tibi videantur deſcripti ab Haly Abbate, Abenſina, Iſaaco, imò ab ipſo *Galeno*; Anne in his qvoq; ſtatuendum, qvod ut ſua Naturalium, ita & Artium qvoq; deſtinata ſint tempora, qvibus oriantur, incrementa ſumant, & perficiantur. Nam licet multa ex noviter repertis veteribus nota fuiſſe aſſerant qvidam, & locis allegatis confirmare nitantur, eorum tamen nunc demum vero uſu gaudemus. De obſervatis Tecum communicatis liberum Tibi permitto ſtatuendi qvicqvid volueris. Qvæ enim viſa à me eà qva debui fidelitate deſcripta ad Te miſi, ut Tuam ſuper iis ſententiam exqvirerem, cum ipſe dubiis hinc natis haud poſſem ſatisfacere. Hoc qvidem haud temere me ſtatuiſſe arbitrabar, cum tanta in copia profluentem humorem diverſum à ſanie, ichoribus &c. viderem, eoq; ad tem-

pus

pus cohibito corpus floridius vegetiusve reddi, redeunte verò eo ad extremam maciem deduci, eſſe qvid alimentoſum, qvod iſthac deflueret, verum qva via, Tibi judicandum relinqvo. De Laudano ſecurum Te eſſe jubeo, & ſpondeo nunqvam non exoptatiſſimum effectum, ſi tempori, debitisq́; una ſpecificis munitum exhibeatur: Clyſter ſi præmittatur ei, eò tutius feliciusve operabitur. Et licet cauſa adhuc præſente vel in vigore conſtituta non ſtatim dolorem ſopiat, motusq́; Naturæ inordinatos compeſcat, ſemper tamen præ omnibus aliis roborat eam, ut eò felicius morborum inſultus ſufferre qveat. Iterari qvoq́; debet, ſi una doſis hand ſufficiat, & augeri, ſi vigiliæ dolorq́; urgeant. Hæc Möinichenii noſtri cauſa monenda fuerunt, ſcribentis nuper, Laudanum id meum affini ſuo abſceſſu interno auris cum capitis dolore laboranti fruſtra exhibitum fuiſſe. Incidi nuper evolvẽdo obſervationum Tuarum Centur. IV. in experimentũ, à *D. Jano* communicatum, de Muliere mẽſium retentione detenta, qvæ omnibus aperientibus fruſtra tentatis, tandem præter rationẽ aſſumptis corticibus Granatorum provocaverit menſtruos fluxus. Miratus ſum infidam Viri memoriam qvodq́; haud retulerit eâ qva heic ac-

cepe-

ceperat circumſtantia: Ita nunqvam Tibi ſagaciſſimo amethodicæ Curationis ſcrupulum injeciſſet, qvem qvæſo patere ut brevibus eximam, qvoniam de eo probe mihi conſtat. Verum eſt experimentum, idq́; non in hac ſolum ſed & in vicina qvadam aula, unde huc devenit non ſemel factum. Verum cortices Granatorum non in ſubſtantia aſſumti, ſed in decocto cum cereviſia facto. Aſt verò ſi arte ſpagirica reſolvamus eos, deprehendimus in iis æqvè uti in permultis aliis duplices particulas, craſſas, nimirum terreſtres, validè adſtringentes, ut & ſalinas volatiles aperientes. Illæ magna iis copia inſunt, adeò ut plerisq́; non ſine ratione creditum hactenus fuerit, Cortices illos ſolum adſtringere. Verum inſunt & ſalinæ, eæq́; qvod majus eſt, Vitriolato ſucco imprægnatæ, qvali perplura alia Vegetabilia, inprimis Putamina juglandium turgent. Notum verò in Scholis Chymicorum Vitriolum qvoddam ſubobſcurè virideſcens, ex iis paratum, qvod tamen malo ſal Vitriolatum appellare, cum non omnes veri Vitrioli proprietates habeat; Spiritum præbens, & in Medicina, inq́; Chymicis operationibus eximii planè uſus. Idem qvo q́; ſal ex Corticibus Granatorum poteſt educi licet exiguâ admodum

dum in qvantitate, ſufficiens tamen ad demonſtrandum, ſi corticibus iſtis conveniens menſtruum, uti ſupradictum fuit cereviſiæ lupulo condita, affundatur, reſolvi perfacile communicariq; cum eo particulas illas ſalinas Vitriolatas, qvæ non poſſunt non inſigniter aperire. Plura non addo, ne Tibi majoribus intento, moleſtus ſim. Pauca hæc adduxi, ut verum ſcires, cujus Te amantiſſimum novi. Alia potius & forſan gratiora Tibi poteram his addere, de Auro qvodam potabili, magnarum omniò virium, beneficio ſpiritus Nivis parando: Eum nempe ἀντιδώρου loco debebam eruditiſſimis Tuis de Nive Commentationibus: & certò miſſurus eram, ut ipſe perfacili digeſtionis labore in Muſæo id tuo præparare poſſes, ſi Nivis copia præſto fuiſſet. Hyems modeſta nimis, qvæ tamen neq; hac neq; aliis de cauſis arridet mihi: Deus avertat, qvæ mala ex perpetuis his pluviis metuenda ſunt. Verum temporis anguſtia plura nunc non permittit. Promiſſis haud deero ſi commoditas adfuerit. Vale, celeberrime Bartholine, & affectum mihi tuum perenna. Vale immortale Daniæ veſtræ decus, & ſalve.

à T. addictiſſimo

Sleswici XV. Cal. Febr.

cIↄ Iↄc LXII. J. Langelott D.

EPIST. LXIV.

Lienis exſectio confirmatur. Uteri exſectio in caſtratione. Eunuchus calculoſus.

JOELI LANGELOTIO Sleswicum.

DE granatorum Corticibus qvæ monuiſti, grata ſunt. Decoctione in cereviſia exhibitos, non memini me accepiſſe, niſi memoria fallat. Non tamen iccircò fidem naturæ conſultiſſimi Jani elevarim, qvippe multa eſſe ſcio terreſtrium partium, qvæ aperiant, qvod de aſtringentibus pyris poſt paſtum comeſtis *Galenus* teſtatur. Cauſaq; non Chymica eſt, qvod craſſæ illæ partes & aſtringentes roborent viſcera, ut expellant deinde promptius, vel fibras venarum conſtringendo compreſſionem inferiorum promoveant. Hæc ratio reddi poteſt amethodicæ curationis, ſi qvidem in ſubſtantia exhibiti fuerint. Salinæ verò particulæ, qvia Te fatente, exigua in qvantitate, corticibus inſunt, vix videntur ſua vi aperiendi obſtructos locos reſerare, præſertim cum menſtruum ex cereviſia imbecillius ſit, qvemadmodum in aliis purgantium infuſionibus experimur. Sed tuo judicio malim acqvieſcere, qvam de ignotis dubitare, monitus *Qvintiliani* edi-

ctto, tum demum felices futuras artes, ſi ſoli artifices de iis judicent. Te enim in hoc naturæ ſtadio præcedentem & excellentem qvis non ſeqvatur? Menſtruum autem Tuum ex Nive avidè arripui, qvia ex hac tam ſplendida naturæ particula ſeptentrionis noſtræ felicitatem metior. Ex cœleſti enim rore nihil non præclari nobis pollicemur. De lienis exſecti certitudine qvia plura deſideras, plura qvoq; tua gratiâ addam. In his enim aliqvid mihi, qvanqvam parvo meo merito, tribuis, qvi in Spagyricis palmam ſupra omnium vota meruiſti. Lienem eximi poſſe noluit olim credere *Cælius Aurelianus*, l. 3. Tard. Paſſ. c. 4. Qvidam, inqvit, decidendum vel auferendum lienem ordinare auſi ſunt, qvod qvidem voce dictum, non officio completum accepimus. Noſtro ſeculo, cui nihil arduum eſt, artifex manus & hæc & illa & iſta tentare non dubitavit. Non repetam qvæ in hanc rem adduxi in Cent. 4. Hiſt. Anat. Unum tantum memorabo, de qvo aliàs Tibi perſcripſi, ſucceſſiſſe & apud nos in canibus iſtam lienis exſectionem. Qvater expeditâ manu, præſente Auguſtiſſimo Rege noſtro, aliisq; ſpectantibus, lienem ex canibus majoribus minoribusq; extractum digitis, totum exſcidit Regius Chirurgus Philippus,

vidi-

vidimusq; vivos & ſuperſtites, præter unum majorem, ſanosq; & agiles, nec qvicqvam inde damni paſſos, ſed ad curſum expeditos, ut in magno lienis uſus tot doctorum labore qvæſitus & aſſertus diſcrimine verſetur, ſi qvidem & eximi ſine animalis noxâ poſſit, & prorſus in nonnullis deficiat per naturam, ſicut in Chamæleonte, qvem Romæ vidimus, obſervavit *Panarolus*, &, authore Ariſtotele, in omnibus aliis veſica & rene carentibus. Qvid pro liene dici poſſit, in aliam occaſionem reſervabo Id certum eſt actiones partium & uſus valdè eſſe incertos, & in tenebris nos ſæpe conjecturis titubare. Uterus lienem excuſare poteſt, qvippe & ille, qvanqvam feminis neceſſarius, innoxie aufertur. Eſtq; veteribus caſtrandi modus. Uterum enim abſciſſum in ſuibus Galaticis *Soranus* Medicus teſtatur. Authorq; eſt *Plinius* ſues feminas caſtratas reciſa vulva, ut magis pingueſcerent amiſſo libidinis uſu. De camelis idem *Ariſtoteles* l. 9. Hiſt. Anim. Noſtri tamen ruſtici in feminis vulvam relinqvunt, in ſuibus, ovibus, vaccis, eqvabus caſtrandis. Ex diſſecto ingvine ſiniſtro manu utrumq; teſticulum cum utero eximunt, ſed avulſo tantum teſticulo utroq; uterum ſuo loco reponunt, & ſine alio apparatu, vulnus

conſuunt. Qvippe majori periculo brutis uterum, qvam teſticulos auferri credunt; qvia in illis, præſertim ſuibus longior eſt, & robuſtioribus ligamentis alligatur, qvum teſticuli adhæreant ſoli utero, & facilè inde avellantur. Idem caſtrandi modus in ſuibus qvoq; *Galeno* probatus, & *Varroni* l. 2. R. R. c. 5. qvi tamen dubium movet, qvod admirandum de vaccis ſcriptum invenerit, exemptis teſticulis, ſi ſtatim admiſeris, concipere. Sed ſimilia narrant de caballis taurisq; in qvibus pro ſimplici coitu ſuperfuit in proſtatis ſemen. Ita in iſtis vaccis, ſeminis pars vel in uterum fluxerat ante caſtrationem, vel in vaſis deferentibus, qvæ remanſerant, hæſerat, nec niſi pro unica conceptione profuit, vaccæ enim poſtea perpetuo ſteriles fuerunt. Forſan nec vera ſcripſit admirandum iſtud ſcriptum, qvia noſtris caſtratoribus, ſi ritè ſuo fungantur munere, pro impoſſibili habetur. Certè difficulter admittunt animalia feminina mares poſt recentem plagam, dolore urgentem. De caſtratis vitulis monet *Palladius* l. 6. R. R. tit. 7. ſi ſtatim coire compellantur, ab eis generari qvidem, ſed ipſos fluxu ſangvinis interire. Mulieres qvoq; exemptis teſticulis caſtratas olim fuiſſe, prodidit *Athenæus*. Qvod noſtro ſeculo necdum

dum, qvod ſciam, tentatum. Eunuchum Italum hic Hafniæ novi, qvi nocturnas pollutiones ſæpe patiebatur. Nam qvanqvam teſtes abſint, proſtatæ tamen ſuperſunt, qvæ ſemini ſimilem humiditatem emittunt, ſed ſterilem, tam tamen neceſſariam ex obſervatione *VVhartoni* c. 31. Adenogr. ut à lithotomis ſi in calculi extractione proſtatæ lacerentur, ſterilitatem Viris inducant. Colica idem Eunuchus vexatum ſe credens me cum D. *Möinichenio* in conſilium adhibuit, qvi variis pro dolore mitigando & educenda acri vellicanteq; materia ſolliciti, nihil minus qvam calculum metuebamus, qvi ope præſcriptorum pro Colica remediorum adjutus poſt paulo in matula viſus. Sed qvo feror. Amor tui me fecundum facit, ut occaſioni datæ inſerviens, de variis diſſeram, qvæ tamen longè ab Auro tuo remota ſunt. Tu, mi Langeloti, omnia pro diffuſo in Te affectu interpretare, ut plura Tibi deberi ſcias. Vale, & porrò me inter intimioris notæ amicos ſerva. Hafniæ VI, May cIↃ IↃc LXII.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPIST. LXV.

Sudorum origo ex glandulis. De inſertione & valvula lactei thoracici & lymphaticorum.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

QVæ à longo tempore Tibi deſtinaveram, Celeberr. Vir, vix tandem elapsô ſemeſtri, & qvod excurrit, ſpatiô, Tuo ſe ſiſtunt examinanda judicio. Decreveram qvidem à Diſputatione illico de novo curare imprimenda, ut qvæ mutilata tum temporis propoſueram, integra transmitterem: Sed mox brevi per illuſtriores Belgii urbes excurſione avocatus, hinc variis hinc inde advolantibus impedimentis diſtractus, tandem ipſis ſectionibus, dum nova qvælibet obſervatio eſſet inſtrumentum ſeqventis, detentus non potui rem ad umbilicum perducere: & niſi anguſta domi res me retraxiſſet, in glandularum examine ulterius perrexiſſem, qvippe deſiderans omnium vaſa perluſtrare, & ſimul lymphæ in variis corporis noſtri cavitatibus conſpicuæ vias inveſtigare. Non enim dubito qvin omnium, qvas Clar. Sylvius conglomeratas nominat, glandularum munus ſit, per peculiaria vaſa vicinas humectare regiones: Sed & parum abeſt,

eſt, qvin credam omnes humores aqveos in variis cavitatibus occurrentes iisdem à glandulis derivandos, Qvid qvod & ſudor non aliam videatur originem agnoſcere: Aliqvot enim in Noſocomio vicibus, vidi in macilentis & diuturna morbi tyrannide omnino exhauſtis cuti proximè ſubſtratas innumeras exiles glandulas tum in abdomine, tum aliis in locis per ſubtiliſſimas fibrillas, qvæ pro vaſis videntur habendæ, cuti connexas. Et paucis abhinc diebus tum Clariſſimus Sylvius, qvi hôc trimeſtri praxin exercendo docet, facultatem mihi daret, in ſubjecto, cujus ille jam tum partes ſuò inſtituto inſervientes demonſtraverat, pro lubitu qvævis examinandi, vidi diſſectâ in cruribus admodum tumidis cute, glandulas, qvæ alias vix conſpici ſolent, adeo egregiè conſpicuas ut genus eorum, qvo nempe referendæ, minimè latere poſſet. Hæc itaq; & alia glandularum præcipuè ex pluribus fruſtulis compoſitarum naturam ſpectantia abſolviſſem lubens, adjunctis etiam illis, qvæ hæc dum ago, aliis in partibus una ſe mihi obtulerunt non qvidem nova, à multis tamen hodie in dubium vocata, ſi & tempus & curta ſupellex id permiſiſſet. Nec enim ſubjecta facile adeo hic reperiuntur, nec editionem diu-

R 4 tius

tius protrahere auſus ſum, qvippe qvæ ſera valde prodit: & certè in te alloqvendo ſollicitum admodum me reddidiſſet cunctatio iſta, niſi illa in aliis qvidem rara, tibi vero familiariſſima humanitas, qvam ultimæ tuæ teſtabantur, novum mihi animum addidiſſet. Gaudeo & me felicem prædico, cui Te, tantum Virum, pia fata Præceptorem, dederunt; & modo Tibi placere poſſint, qvæ à mea tenuitate ſunt profecta, maximum me laboris fructum obtinuiſſe judicabo. De variis, qvantum in Theatris Anatomicis nobis viſa, tum in ædibus Clariſſ. Dni van Horne conſpecta, nihil addam, cum à Clariſſ. Borrichio Tibi illa ſignificari non dubitem. Scripſi, ni fallor, ultimâ vice de ductu thoracico qvædam, in cujus inſertione inveſtiganda non ſemel fui occupatus. Nuper autem obſervavi illius in vena cava oſtiolum valvulâ ſatis magnâ & eleganti adverſus regurgitantem ſangvinem munitum, qvæ eadem valvula etiam ductus lymphatici à collo deſcendentis exitum claudebat. Immiſeram primo per modo dictum lymphaticum ſetam in ipſam usq; cavam, hinc & per ductum thoracicum in eandem axillarem viam tentans eò vix tandem penetravi. Cum itaq; in ipſa cava verſari ſetas deprehenderem, aperui illam,

illam, & ſimul in conſpectum produxi bina oſtiola ſibi admodum vicina, & communi valvulâ tecta. Mirus autem lymphaticorum ad illam cavæ divaricationem confluxus, ſed majorem ipſe ductus thoracicus meretur admirationem, cum & immiſſum ſtilum in cavam deducat, & ſi inde aberraveris, ad medium usqve collum in deſcendente lymphatico aſcendere permittat, cum tamen per idem lymphaticum etiam in ſangvineum canalem via pateat ab iſtius oſtio diverſa. Qvod D. Blaſium ſpectat, nunqvam vel mentionem ejus feciſſem, ſi ipſe fraterq; ejus amicè me tractaſſent. Sed nec in theſibus ullum, qvod motum animum arguere poſſet, verbum attuli, licet ſuis ille in literis adeo acerbè mecum egerit, ut ſi paria illi reponenda fuiſſent, Satyrici ſales ad partes fuiſſent vocandi. Sed malui ego nudam rem ſuis rationibus munitam proponere, qvam ad verba inimica & dentata deſcendendo reverentiam, qvam Profeſſori privatus debet, videri depoſuiſſe. Qvod me literarum Fautoribus & in iis Magnifico Domino Cancellario commendatum reddere ſtudeas, gratias ago habeoq; maximas, & cum nihil mihi ſit, qvo prolixum hunc affectum tuum poſſim demereri, ſanctiſſimo Te Numini commen-

dabo, & ardentibus apud illud inſtabo votis, ut cum novo anno nova integerrimæ felicitatis munera tibi largiatur, & faxit, ſerus in cœlum redeas, & nobis diu lætus interſis. Qvô voto finio, & ut Tuo me favore amplius dignari pergas, obnixe rogo. Vale & feſtinanti calamo ignoſce.

Tibi

Dab. Lugdun. Batav. An. 1662. d. 9. Jan. ſt. n.

addict.

Nicol. Stenonis.

EPIST. LXVI.

De via nova oculorum ad nares. Vertebrarum in dorſo defectus.

NICOLAO STENONIO, Leidam.

ACcepi obſervationes tuas Anatomicas novas prorſus & ſelectas, duplici nomine mihi pergratas, partim qvod rem Anatomicam ſtrenuè auxerint magna nominis Tui celebritate, partim qvod meo qvoq; nomini illas inſcripſeris. Prius beneficium agnoſcet orbis eruditus, Tibi applaudens, alterum ego qvovis amici officio conabor demereri. Vix pervolveram, vix Collegis meis monſtraveram,

ram, qvum data commoda occaſione Sereniſſimo Regi noſtro ſubmiſsè offerrem, ſicut miſeras. Placuit clementer Magno Regi ſtudium tuum, qvi pervolutato libello varia de argumento ejus, deq; Te ipſo qvæſivit. Ego, ſicut amicum decuit, ſubjectiſſimè Te tuosq; conatus Domino commendavi, Theatro Anatomico aliqvando profuturos, variosq; pro re nata novorum tuorum Ductuum Uſus protuli, ſalivalium in ſalivæ productione, ductus alterius per naſum protenſi ad oculorum vitia corrigenda per errhina, & alia qvæ extemporaneus genius dictabat. Tu videris, an ex ductus tui cum oculis commercio copioſus humor ex oculis per nares educatur pulvere nicotianæ. Teſtabatur mihi olim illuſtris *VVormius* Conſulem Chriſtiano Hafnienſem imbecilli viſu laborantem ope talis pulveris optimè reſtitutum. Idem in ipſo me expertus ſum. Acutius enim multò video objecta remotiora poſt uſum pulveris tabaci: Qvicqvid ſit, de clementia ſummi Regis es ſecurus, & de applauſu eruditorum. Perge eo ſtudio qvo cœpiſti, ut omne punctum feras. Ignoſce verò qvod aliud exemplar prima data occaſione à Te expectem, qvia nollem nervoſo iſto libello carere. D. *Blaſius* ſuſpectum me habet, nullo meo merito, iccircò nu-

cò nuper me purgavi, qvia nollem inter vos ſimultates, ſperemq; me inter vos reducturum tandem amicitiam. Qvod ad Te perſcribam in præſenti occurrit nihil, niſi qvod de milite Bruxellis degente narraverit hic Hafniæ Celſisſimus Dux Lunæburgenſis, tormento bellico ablatas eſſe duas vertebras dorſi ſine vitæ diſcrimine, ſanatum enim eſſe locum, & inſtrumento ferreo ſuſtineri ut erectum ſit corpus, qvod ad latera concidat & vacillet illo remoto. Qvia de tanti Principis, oculati teſtis, fide dubitare nefas, inter miranda naturæ artificia hunc caſum retulerim, qvia hic mea ratio & experientia ſilet, neſcio enim qvid medullæ ſpinali ſit factum, aut vaſis majoribus dorſo incumbentibus, qvæ lacunam pati neſciunt. Multa tamen incredibilia Mars ſubminiſtrat, cujus

— ut aſpicerent opus admirabile, ſæpe
Deſeruere ſui Nymphæ vineta Timoli,
Deſeruere ſuas Nymphæ Pactolides undas.

Si Tibi inter hæc ſacra adhuc verſanti ratio Anatomica huic narrationi ſubeſſe videbitur, cogitationes vertam, Tu fac qvod nulla poſteritas taceat. Diſſertationem de *Hepate Defuncto* apud amiciſſimum noſtrum *Borrichium* leges, & propenſum affectum boni conſules.

Vale,

Vale, mi Stenoni, & in patriæ ſpem diu vive. Hafn. XIV. Febr. cIɔ Iɔc LXII.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPIST. LXVII.

De editione Hippocratis nova. Lymphaticorum veſtigia ex Hippocrate. Ejusdem locus correctus. Hiſtoria Monachi barbati.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

SUmma cum jucunditate ex mellitiſſimis Tuis, qvid de labore meo Hippocratico ſentias, percepi. Certe & Tuæ, & aliorum ſummorum virorum, qvotidie ferè opus urgentes literæ, tantum mihi ſtimulum addiderunt, ut aut hâc aut futurâ ſeptimanâ ad umbilicum ſim perducturus ea qvæ præter indicem in ſpecimine promiſeram. Abſolviſſem qvidem citius, ſed qvia Egregius ille Hippocrateæ Doctrinæ Doctor Jo. Cunradus Dietericus nuper demum per Amiciſſimum Noſtrum Horſtium monet, ut ſingulos Marinelli Numeros (qvos Capita jam voco) in ſuos diſtribuerem verſiculos, & hic qvoq; labor non exiguum ſibi vendi-

vendicavit tempus. Sic igitur bono cum Deo integro opere in ſua capita & verſiculos diſtincto, atq; marginalibus neceſſariis ornato proxima ſeptimanâ eodem Numine adſpirante ultimum aggrediar laborem, Indicem nempe. Hunc (ad exemplum Argentoratenſium philoſophorum, qvi Taciti aliorumq; ſcripta, magnâ Nominis ſui celebritate, ſimili indice ornata hactenus ediderunt) capitibus & verſiculis ita adaptabo, ut impoſterum omnibus illis editionibus, qvæ modo capita & verſiculos illos habebunt, applicari poſſit: neq; enim placet conſilium eorum qvi ſe paginis unius editionis adalligant. Et hunc ſanè poſtremum laborem, tanqvam graviſſimum reliqvis omnibus præfero. Elegi autem ſvaſu plurimorum formam in qvarto præ illa qvæ eſt in octavo, ut cuncta unico includantur volumine, prout ſpecimen incluſum oſtendit ſed de Typographo qvi ſumtus impendat, jam ſum ſolicitus. Offert qvidem ſe Genevenſis, ſed abſq; remuneratione, qvam prætendo, non ſane ex avaritia, ſed partim qvidem ut tædioſum hunc laborem aliqvo modo demulcerem, partim & imprimis ut tot jam hujus gratiâ expoſitos nummos reciperem. Et cur qvæſo gratis tantam utilitatem in ignotum hominem abſq; remunera-

nera-

Digitized by Google

neratione transferrem, imprimis cum procurante Ill. Mannagetta Privilegium Cæſareum ad decem annos in optimâ obtinuerim formâ, qvod meâ pecuniâ procuratum, non tamen in meum ſed bibliopolæ illius, cui jam meum conferrem, cederet commodum. Sed ad Tua. Paralytici Tui jam ſunt exſcripti qvorum exemplaris miſſionem dum differre cogor ad proximas nundinas, Titulum tamen cum devotâ meâ inſcriptione eâ qvâ decet reverentiâ Tibi offero, ut vel exinde devinctiſſimum meum cognoſcas animum. Vereor tamen ne iraſcaris, qvod ſi ipſo opere viſo, binas illas priori editioni additas figuras, non ſis reperturus. Et ſanè diu multumq; Bibliopolam rogavi, qvi tamen ſemper abſentiam æris-ſculptoris oppoſuit, qvod qvidem veriſſimum, cum Argentinæ qværendus fuiſſet. Ego vero ſi qvis optimi alioqvi Viri tenacitatem accuſaret, cum eo non contenderem. Factum erat inde, ut meum Exemplar à Decanis Theologico & Medico jam ſubſcriptum reſervare decreverim, niſi amici fuiſſent, qvi illas figuras ſalva Tua ſententiâ alibi â curioſis inveniri poſſe objecerint, Sic tandem victus, non niſi altero verbo mutato, Fœtum Tuum prodire paſſus ſum. Tu verò Patrone optime ſi obſte-

tricam-

tricantes meæ manus peccarunt, cuncta æqvi boniq; conſule. Locus, qvem citaſti Lib. 6 de morb. Vulg. Sect. 3. aph. 4. pro cognitione vaſorum Lymphaticorum, non omninò videtur eſſe contemnẽdus. Voculam enim ὀχετὸς rectè Calvus per rivulum, Cornarius per canalem, Foëſius per aqvæductum interpretatus eſt; cum Svidæ ὀχετὸς idem ſit qvod σωλὴν, ἀγωγὸς, ῥύαξ, à qvo Heſychius minimè diſſentire videtur, ut & Erotianus qvi ὀχετὲς vocat τὰς ἐκχύσεις τῶν ὑδάτων effluentias ſeu effuſiones aqvarum, ita ut Cous voluerit, ſignum exercitationis ſufficientis eſſe ſudorem, qvi guttatim effluit è poris cutis, qvibus continua forſan ſunt vaſa lymphatica, velut è rivulis aqva fluit perennis aut velut pus compreſſum ex elevato humore. Qvod ſi v. Vaſorum Lymphaticorum mentionem etiam feciſſet Cous Lib. de Gland. circa initium cap. 1. v. 6. & 7. pag. edit. Foëſ. 270 ubi expreſſe ſcribit humorem ex reliqvo corpore ad glandulas confluere, has verò multis & raris venis repletas eſſe. Jam v. plurima vaſa Lymphatica glandulis ſunt inſerta, inq; his reperiuntur. Sed hæc problematica mea tantum eſt aſſertio. Ut & ſeqvens. Vix enim me contineo, qvin dicam,

Vaſa

Vaſa lactea ad mammas tendentia Coo noſtro non fuiſſe ignota. Diduucam hoc problema pace Tua, idq; breviſſime cum tabellarius urgeat. Ita Cous Lib 2. de Morb. vulg. Sect. 6. cap. 2. verſ. 17. pag. edit. Franc. 1053. H. φλέψ ἔχει παχέη ἐν ἑκατέρῳ τιτθῷ. Ταῦτα μέγιστον ἔχει μέρος συνέσι@. Hic ultimum vocabulum & Calvus, & Cornarius, & Föeſius per Prudenriam explicarunt. Ego, ſi pace tantorum Virorum meam interponere ſententiam conceſſum eſſet, dicerem, voculam συνέσιος potius per coitionem ſeu Confluxionem interpretandam eſſe. Qvamvis enim Heſychius eandem per νόησιν, Svidas per φρόνησιν, explicarit: σύνεσιν tamen etiam per *confluentiam* explicari poſſe, præter propriam vocabuli interpretationem ipſa qvoq; probat Circe apud Homerum. Qvæ dum Odyſſ. K. non longe â fine Ulyſſi iter ad inferos prædicit, atq; in iſtius deſcriptione infernalium fluviorum valido ſono concurrentium mentionem facit, ipſam ſane confluentiam dicto ξυνέσιος vocabulo exprimit, in qviens:

— ξύνεσίς τε δύω ποταμῶν ἐριδούπων.

— *Et confluxus duorum fluviorum valde ſonantium.*

Ita igitur poſteriorem dictæ Hippocraticæ ſententiæ partem vertendam eſſe reor: *qua in re maxima confluentiæ* (non *prudentiæ*) *pars ineſt.* Unde integrum hunc verſiculum de tubulis mammarum lacteis, qvos hic φλέβας παχέης (nomine omnibus craſſis vaſis apud Hippoc. communi) vocat Cous, intelligendum eſſe exiſtimem; ut ſenſus ſit: Utraq; mamma tubulos habet, in qvibus maxima confluentiæ pars ineſt. Sed neſcio qvomodo hæc&alia Valleſius, (cujus Commentarios in Coi Libros Epidemiῶν maximè laudat Martianus, qvosq; neſcio qvo infelici ſydere natus videre hactenus non potui) explicet. Nullus enim dubito qvin cunctis magnam ſit daturus lucem, vel ipſius qvoq; Martiani conſenſu. Obſervationes novæ qvas communicaſti gratiſſimæ fuerunt, neq; enim hic curioſis iſtis exercitationibus operam damus, veterum & imprimis Galeni doctrinâ contenti. Qvod verò Cl. Stenonius in Celeberrimum Deuſingium vindicias meditatur ſumme me afficit, cum iſtius & eruditio & humanitas & candor, ab omnibus qvotqvot eum hactenus novére ad cœlum usq; ſint ſublata, ut propriam taceam experientiam. Certe ſi has vindicias redimere poſſem, nulli parcerem labori. Amo namq; Virum optimum,

Ban-

Bangii Noſtri, Hoſpitis olim mei optimi, mortem præmaturam ex animo doleo. Sed verò, ſic ſeqvitur Amicus amicum; Qvibus tamen exulcerato hoc ſeculo mors beata non invidenda. Sed feſtinanti ferè unum adhuc excidiſſet. Non ita pridem literas accepi â Viro Excellentiſſimo, & pro tempore apud Auguſtanos Decano Spectatiſſimo, Domino Luca Schröccio, magno meo Amico, in qvibus Vir Clariſſimus hiſtoriæ haud vulgaris mentionem facit, qvam lubentiſſimè Tecum communicabo. Scribit, recenſuiſſe ſibi nuper per literas, inſignem Ulmenſium Medicum, D. Anton Boxbart. qvod monachus qvidam iſtius curæ creditus, viſum amittat, ſi ex inſtituto regulæ (eſt enim familiæ Benedictinæ) barbam radat, recipiat autem viſum, ſi eam prolixiorem alat, idq; jam ſæpius contigiſſe, nec ipſum Cl. Boxbarterum cum aliis de veritate hujus caſûs dubitare. Ita qvidem ut & ipſi Superiores Monaſterii, neglecto Regulæ vigore, conceſſerint imò monuerint, ut impoſterum prolixiorem barbam alat æger. Addidit tum idem Boxbarterus, qvod hic ceſpitet de certo hujus luis alexiterio, imò qvod nullus dubitet, qvin ſi qvis Carpathi montis incolas luſtrarit, inventurus ſit, qvo pacto infringant hujus affectionis

virus. Retulit præterea Schröccius meus, ſe ei reſpondiſſe, ex mente meâ, qvam ex Daviſſonii in Ideam Severini de Plicæ Polonicæ curâ in ultimâ meâ de varicibus Diſſertatiuncula in Corollario ultimo propoſui, qvamq; poſtea Schröccio meo unâ cum aſſenſu Bogdani Noſtri communicavi. Ego verò, ſiqvidem dicta hiſtoria vera eſt, in ultimis meis ad Cl. Schröccium morbi illius rari cauſam in diurnum diætæ vitium (cui cum Coo plurimos tribuo morbos) conjeci. Ita ut credam ſenem illum monachum (eſt n.60. annorũ) ex diuturno vitæ duræ vitio cumulaſſe in capite ſuccos peccantes, qvi barbâ creſcente pilis cedunt in nutrimentum, ſecus ac raſâ, ubi non invenientes pilos excavatos, qvibus ſe inſinuent, remeant ad oculos. Qvemadmodum & in ſcabie, topicis ante tempus debitum applicatis, contigiſſe memorant Hiſtorici Medici. Nuper hic natum eſſe monſtrum capite caudaq; lupinis communis per urbem retulit fama. Aſt re penſiculatius examinata, non niſi molam carnemq; informem â matre rejectam eſſe, cognoverunt prudentiores, rumorem verò illum â marito nebulone ſparſum fuiſſe proprii emolumenti causâ, qvippe qvi ſe hac relatione opulentiorum miſericordiam liberalem commoturum

ſpera-

ſperabat. Vereor ne pro merito publicum hoc mendacium publico ſit expiaturus carcere, cum in viciniam jam qvoq; dimanarit, pro credulæ plebeculæ more. Libellum Coi de Puſtulis, ex Tua interpretatione publico nuper communicatum, meæ editioni inſerere conſtitui, idqve Tuâ veniâ. Sed de aliis aliàs. Salutant Te omnes qvos ſalutare juſſiſti. Tu vero Patrone Colendiſſime, cum fratribus excellentiſſimis, D. Mœnichenio aliisq; amicis, qvos perhumaniter reſaluto, Vale & fave.

Tibi devinctiſſimo.

Baſil. 28. Jan. St. v. 1662.

G. Segero.

EPIST. LXVIII.

De Tubulis Lacteis apud Hippocratem. Tonſura ad cutem. De caudatis obſervationes.

Georgio Segero. Baſileam.

MAgnifacio magnum & ſincerum tuum affectum, in editione Paralyticorum meorum nuper teſtatum. Figuris in prima

editione poſitis commodè Lector carere poteſt, qvippe primam alibi inveniet in obſervationibus meis de *Unicornu*, alteram in *Boſii* Roma Subterranea. Donum gratus excipio, qvia à Te perpolitum, qvanqvam alteri digniori deberes. Propriam creaturam agnoſco, nova veſte à Te decoratam, & pro præſtita opera gratias ago. *Hippocratis* lumen adoro, qvanqvam obſcura valdè ſint in eo lymphaticorum veſtigia. Nihil ille ignorare potuit. Alter verò illius locus à Te explicatus de Tubulis Lacteis mammarum, varia interpretatione, qvam ex vocabulo συνέσεως illi mutuaris, nihil proficit. Confundis enim Tubulos Lacteos mammarum, qvos ignorare forſan non potuit, cum venis lacteis qvæ ad tubulos lac ſeu chylum afferre debent, qvas nec *Hippocrates* agnovit nec poſteriorum oculatior manus adhuc detexit ſatis ſufficienter. Surculos qvidem nonnulli viderunt, ſed perpetuos illos non auſi ſunt pronunciare. In cane lactante diſſecta ſurculum lacteum pleno curſu ad ubera tendentem conſpexit *Joh. Theod. Schenckius*, amicus noſter, l. 1. Exerc. Anat. 7. ſ. 2. c. 33. Lacteum canaliculum Monſpelii vidit ſæpius Cl. *Pecqvetus* Exp. 4. Diſſ. Lact. Thoracic. In cuniculo femina lactante

ſtante vaſa chylifera ſeu lactea mammaria ſe inveniſſe gloriatur nuperrimè *Ant. Everardus* p. 282. De Hom. Brutiq; exortu. Sed ſingulares in his illisye individuis ſunt obſervationes. Sæpe ego hujusmodi fibrillas candicantes in brutis notavi, ſed pro lacteis veris venditare nunqvam auſus ſum. Non deſpero tamen de aliorum felicitate, qvam cœlo debebunt. In Textu verò Hippocratico à Te tentato, nihil ſubſidii video lacteis ſupereſſe, qvanqvam *σύνεσιν* per *confluentiam* vertas. Qvodcunqve enim deniq; ſit vas, *σύνεσιν* non excludit. Et ſi rectè perſpicio, *prudentia* illi loco magis convenit, qvam *confluentia*. Locuturus enim *Cous* de ſignis qvibus fœtus ætatem dignoſcimus, mox ſubjungit, ex vena craſſa in utraq; mamma, prudens judicium eſſe deſumendum. Conſentiunt in hac verſione omnes. *Valleſius*, qvem doleo à Te lectum non eſſe aut viſum, *providentiam* reddit, dupliciq; modo explicat: vel qvod multum præſtet ad præſentionem, tumorem enim mammarum ſignificare ſuccorum transmiſſiones à capite ad corpus, & contra, ob has venas: vel qvod magnam ſignificationem præſtet providentiæ formatoris, has venas, erumpentes in mammas ob infantis neceſſita-

 tem,

tem, & in uterum productas, ob fœtus neceſſitatem, & ut eadem materia nutriatur, qva genitus ſit. Caſus Monachi à Te transmiſſus fictusne an ſit ab ipſo Monacho promiſſioris barbæ candidato, vel verus, dicere non auſim. Certè huic cucullato peculiaris eſt. Aliis enim ad viſum acuendum confert freqvens crinium decurtatio, huic nocuit. Illis favet ratio & experientia. Reciſi enim capilli locum relinqvunt aliis, qvibus excrementitii cerebri humores abſumuntur. Hinc *Celſus* paſſim ſvadet tonderi caput ad cutem, inprimis l. 6. c. 6. n. 15. qvando exulceratis vehementer oculis, acies ipſa corrumpitur. Qvod proficuum etiam ſanis edoctus olim fuit Antoninus Commodi Pater, cujus, teſte *Galeno* 4. Epid. 6. Aph. 9. familiares omnes ad cutem usq; tonſi erant. Forſan tamen hactenus æger fuit Monachus iſte, ſive tenui diæta, ſicut ſuſpicaris, ſive occulto morbo, jamq; in ſtatu convaleſcentiæ eſt, in qvo incidendos non eſſe pilos, exiſtimant pleriq; ne recidivam patiantur, cujus ſententiæ fundamenta excutit *Sitonus* in Miſcell. Jatricis. Similis verò huic affectioni eſt ille, qvem *Hier. Montuus* de Morb. Infant. in ſuibus deſcribit ex *Didymo*, qvi ægrotantes cognoſcuntur evulſis è cervice pilis, curanturq; ſi tonſillæ infeſtentur.

tur. De qvo affectu hoc judicium fert *Montuus*, eſſe præambulum Epilepſiæ, qvæ neq; protopathia cerebri, neq; ſympathia ventriculi, ſed poſterioris alicujus ſecundum dorſum partis, à qva excrementum veluti fuliginoſum, qvod pilorum materia exiſtit, per nervoſa corpora ad cerebrum usq; aſcendit, niſi revellatur frictionibus, & per cutis poros jam à frictione ſicca rarefactos exiens, in pilos vertatur. Conjectura Tua non abludit ab hujus, qvanqvam propius rem videaris, qvo es ingenii acumine, tangere. De monſtro apud vos nato caudato, niſi fallat pater, qvi, ut refers, ſuſpectæ eſt fidei, qvæ narras, in memoriam mihi revocant *Plinium*, qvi l. 7. c. 2 ſcribit, qvo autore neſcio, Calingis cauda villoſa homines naſci eximiæ pernicitatis. Qvaſi cauda ad curſus celeritatem aliqvid conferret. Caudatorum hominum exempla in *Anat. Reformata* memini allata. Unum reſtat, pueri ſpecioſiſſimi nati Julio Qvirino Patritio Veneto, cum cauda cubitali in fine oſſis coccygis, ejusdem cum reliqvo corpore coloris, ex oſſe. Aloyſius Bellacatus, qvi è ſacro fonte ipſum exceperat, forfice abſcidit, ſed annos tantum tres ſupervixit, febre poſtea extinctus. Unde an & curſu valuerit, ſcire non poſſumus. Si os coccygis in hominibus notæ

tantum gratia ſit, qvod tamen erudito *Hofmanno* non concedimus, in brutis certè magni uſus prolixior cauda cenſetur. Olim enim generoſi eqvi formam commendabat cauda longa, (*Varroni* l. 2. R. R. c. 7. coda ampla,) & ſetoſa, & criſpa, jam creſcentibus hominum pilis, decreſcunt cum barbis, etiam eqvorum ſetæ, & decurtantur caudæ, inſigni & ornatus detrimento & roboris. Crinibus robur ineſſe Samſonis exemplo conſtat. Robur qvoq; majus prolixæ caudæ ineſſe, noſtris aurigis notum, qvi ex uliginoſis locis currum extracturi caudæ eqvinæ alligant, ut fortius trahant. In mechanicis obvium eſt cuiq;, Contis longioribus facilius & fortius trahi, qvam brevioribus. Nervorum funiculus prolixior per longiorem ſpinam decurrens robori inſigni augmentum affert. Hujus beneficio noxia qvævis depellunt, & lumbricorum in inteſtinis ſenſum doloris percipiunt eqvi, produntq; ſi caudam ſæpius jactant, *Columella* autore l. 6. R. R. c. 30. Hinc in nervorum læſione ex cauda eqvi ſangvinem detrahit *Conſtantinus Cæſar* l. 16. Geop. c. 7. Ejusdem *Columellæ* obſervatione l. 7. c. 12. nervus qvi per articulos ſpinæ prorepit usq; ad ultimam partem caudæ mordicus comprehenſus & aliqvatenus eductus abrumpitur

pitur qvando catulorum caudæ caſtrantur, ne in longitudinem cauda capiat incrementum, canino generi fœdum, & ut rabies arceatur. Conſenſum non tantum cum inteſtinis, ſed cum utero ſetæ eqvinæ alunt, ſive nervorum dictorum beneficio, ſive qvod ex iisdem ſuccus aliqvis alimentarius ad ſetas qvoq; derivetur. Noſtrorum enim Veterinariorum experientiâ, repigratur partus eqvinus, ne ante tempus elidatur, ſi eqvæ cauda filo conſtringatur, qvo anſerini farciminis amplior extremitas fuit alligata. Qvo jam rapior neſcio. Sed rapior à capite ad caudam, ab *Hippocrate* ad Veterinarios. Sed ad Te redeo, qvem amo, cui ad menſuram literas non ſcribo, qvia tecum fabulari ſemper, volupe eſt. Monet tamen tabellarius, alioqvi ulterius procurreret calamus, nunqvam promptior qvam tua gratia. Vale igitur, mi Segere, &, qvod facis, Artis porrò gloriæ incumbe. Hafniæ XIII. Mart, cIↃ IↃC LXII.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPIST.

EPIST. LXIX.

De aurea Colica.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

ET promptiſſimum de omnibus benè merendi ſtudium ac ſingularem E. T. erga me voluntatem ex literis tuis tam mellitis & adjecto dono abunde perſpexi, mihiqve non parum gratulatus ſum, qvod in tanti viri gratiam & amicitiam me receptum viderim, cujus claritas nominisq; ſplendor dudum pulſavit ſidera cœli: cujus fama nunc

Fertur ad Eoas occiduasq; plagas.
— rumpantur ut illa Momis.

Zoilisq; omnibus; nimirum individuus gloriæ comes eſſe ſolet *Invidia*, malum in Medico cum primis abominabile, cujus utpote finem, qvem Cous noſter pro more breviſſimis exprimit [ὠφελέειν ἢ μὴ βλάπτειν. Epid. 1.] omnino deſtruit, ac iſte à ſeipſo degenerare videtur, dum ſe ſibi ſoli natum putat, & qvalecunq; lucellum hominum anteponit ſaluti. Alter jam agitur annus, cum ex Schediasmate de Fœtu extra uterum lapideſcente ab Excellentiſſimo *Horſtio* Academiæ Naturæ Curioſorum [cujus inſtituta ex Vite Vinifera Nobiliſſimi *Sachſii* plenius petere licet] Phænice,

ex

ex acidulis Sualbacenſibus mihi miſſo, inventum Bilſianum primum innoteſceret;

Obſtupui, ſteteruntq; comæ, vox faucibus hæſit.

Inventum certè centum boum (ne dicam canum) mactatione digniſſimum, ſi eventus reſpnodeat. Legi obiter qvæ opponis, & inter alia Romanorum militum ob qvæſtum qvidem inſtitutam ſed truculentam vivorum hominum ſectionem, qvæ memoriam mihi refricavit cujusdam caſus haut ita diſparis argumenti: Inſtitor qvidam Ilmenoâ-Thuringus Wolffgang Heering qvotannis hinc ex divenditis mercibus nummos faciens aliqvando in prædones incidit periculum vitæ intentantes, niſi nummos reddat, ille 13 aureos duobus nodulis tenui linteo in hunc finem ſeorſim obvolutis incluſos clam devorat potiorem nummorum qvam valetudinis rationem perverſo ſeculi more habendam eſſe ratus, alter nodulus nono poſt die, ſed non ſine moleſtia cum excrementis per inferiorem gutturem rejicitur, alter verò triennium & qvod excedit in ventriculo & inteſtinis funeſtas moras trahens miſerum locatorem magno malo pro mercede mactat & continuo ventriculi inteſtinorumq; cruciatu, cum vomitu

mitu crebro & animi deliqvio, tractuq; temporis ad inteſtinum colon qva cœco continuum eſt & valvulâ munitum, delatus, inibiq; qvaſi incuneatus (qvod ex ſummis doloribus in hypochondrio dextro potiſſimùm ſævientibus conſtabat) omnem ibi tranſitum adeò obſtruit, ut omnia aſſumta tertia ferè poſt ſumptionem horâ cum valido conatu & vomitu nonnunqvam planè ſangvineo, qvandoqve cum alvinis fecibus permiſto ſæpius de die iterum effunderentur, qvo malo ferè confectus die 7. Aprilis anni 1649. ex itinere huc defertur, qvem juſculis alterantibus nonnihil refectum lenientibus ſupra & clyſtere acriori infra eluendum curo, demulcentibus extra qvoq; admiſſis, altero mane dum ad eum viſo, alacrem abiiſſe comperio, ſed is ipſe paulò poſt revertitur, ſanctéq; aſſeverat, dolores qvidem ab exhibitis mitigatos, ſed aurum non rejectum eſſe, viam tamen inde perviam factam. Aurea hæc Colica eaq; voluntaria cultrum meritò meruiſſet anatomicum (qvem adminiſtraſſem ipſe, ſi lethalis tum fuiſſet) & qvæſtum ex diſſecto cadavere non inhoneſtum, ſi varias, qvas inſolens ille hoſpes occupavit, ſedes, ſi multivarias, qvas excitavit, ſtrages, ſi faciem ejusdem intra æſtuantes viſcerum

ſcerum cellas tamdiu latitantis variantem penitius inſpiciendi copia data eſſet. Sed deſino nugarum, nec repeto priores, qva de duplici aneurysmate, altero qvidem ex ſiniſtra Venæſectione, ex percuſſione altero oborto & præter ſpem curato ſeptembri menſe conceperam, cum eas non deperditas ſed interim repertas & ſalvas ad Te perveniſſe putem. Vale Vir Nobiliſſime, Fautor Magne & ſi lubet, per veſtrates reſponde.

E. T.

addictiſſimus

Suinfurti prid. Id. Febr.
1662.

Joh. Michael Fehr D.

EPIST. LXX.

Judicium de colica aurea. De cinere Æthnæ & Heclæ. De Rosmaro & ſpermate Ceti.

Joh. Michael. Fehr Suinfurtum.

NOn tam de reperto aureo vellere Jaſon, qvam de tuis literis gaviſus ſum ego, auro plenis & aurea eruditione, Ad deperditas tuas

tuas literas jam reſpondi, qvidq; de aneurysmate ſtatuendum ſit, perſcripſi. Colica illa aurea, de qva narras, miras in corpore guloſi cataſtrophes excitavit, qvas utinam patiantur illi qvi tanta aviditate & habendi cupidine aurum colligunt ex fæcibus mundi inficeti: Circa cœci inteſtini regionem interea deglutitam offam auream hæſiſſe, nullus dubito, & ſi in defuncti cadavere cultrum Anatomicum exercuiſſes, eandem ſedem inveniſſes, qvæ orphano apud *Nic. Fontanum* Reſp. & Cur. Med. l. 1. p. 84. à materia lapidoſa & indurata, inteſtinum extendente, mortis occaſionem dedit. Lapis enim & aurum in utriusq; exitio pari paſſu ambulant, qvanqvam diſpar ſit utriusq; pretium apud illos qvibus auri ſacra fames. An autem aurum adhuc in corpore hominis deliteſcat, locoq; motum viam tranſeuntibus faciat, an in corpore à menſtruo qvocunq; ſive naturali ſive per medicamenta tua ſuppeditato eliqvatum ſit, & vel cum excrementis eductum, vel in corporis nutrimentum ceſſerit, ipſe dijudica. Hærere ibidem adhuc, ipſa aurea ingluvies videtur fateri. Et innoxiè in angulis cellulisq; inteſtinorum latere poteſt, donec calore blando viſcerum tandem vel conſumatur vel imminuatur. Imò, ſi & hoc

ali-

aliqvid, in aurum potabile convertetur. In cineres enim converſum iri non ſpero; qvia tantus fervor corpori vix ineſt. Optandus tamen eſſet hic effectus, ut eo cinere pingueſceret & tandem rumperetur, Tibiq; anſam præberet aurea viſcera luſtrandi. De cinere Æthnæ ita refert *Strabo* l. 6. Geogr. oves adeò pingueſcere, ut rumpantur. An ea vis inſit cineri auri, non dixerim. Id ſcio & ex incolis audivi in Islandia oves devorato cinere montis Heclæ ægrotare & mori. *Strabonis* ego authoritatem ſuſpectam reddere nolo, qvanqvam nihil tale viderim, qvum in Siculo itinere Æthnam inviſerem, nec ab incolis Cataniæ urbis, ad montis radicem ſitæ, audiverim. Diverſitatis forſan ratio eſt, qvod oves Siculæ cum cinere, gramine herbisq; læto ſolo, provenientibus veſcantur, Islandicæ verò puro cinere contabeſcant, qvæ aliàs rigente hyeme, graminis defectu, nivem vorant, & lanas ſibi invicem dentibus abraſam degluciunt. Non igitur de cinere ſolo graviſſimus *Strabo* loqvutus eſt, ſed paſcuis cinere conſperſis, alioqvin neq; cinerem, neqve pulverem, neq; favillam, neq; calcem ullum animal eſitare, *Galeno* l. 4. ſimpl. Med. Fac. c. 20. rectè notatum. Forſan nec auri cinerem ullum animal eſitaret, cujus habendi

T deſi-

deſiderio tot homines ineſcantur. *D. Henricus Fuiren*, amicus olim Patavii tuus, ad qvem literas dediſti, magno Rei Medicæ detrimento & amicorum cordolio A. c. 1659. nobis ereptus eſt. Morte igitur præventus ad literas Tuas reſpondere non potuit, qvibus de Rosmari dente& ſpermateCeti nonnulla dubia propoſueras. Figuras cranii Rosmari Tibi deſtinatas, manuq; beati Fuirenii ſignatas, beneficio fratris ſuperſtitis *Thomæ Fuirenii* jam mitto, ut videas qva promptitudine tuo voto ſatisfacere voluerit, ſi ipſum fata invida ſuperſtitem juſſiſſent. Dens Rosmari apud nos freqventior, ab Unicornu mille paſſibus diſtat, qvanqvam huic ſubſtitui poſſe, non dubitem. Habeo in Muſæo dentem Rosmari in terra apud Islandos per naturam calcinatum magnarum virium. Nec crudo ſua deeſt virtus, qvæ cum cornubus aliis & ebore paria faciat. Alius dens ejusmodi Rosmari in ſolidiſſimum lapidem converſus apud me ſervatur dono Conſultiſſimi Viri *D. Petri Reſenii*, Collegæ & Affinis, qvem inter reculas fratris *D. Pauli Reſenii*, in itinere Hieroſolymitano extincti, invenerat. Qvantum autem peni Rosmarino ſit tribuendum in *Centuriis Hiſtoriarum* me annotaſſe non ignoro. Qvid inter Rosmarum & Unicornu

cornu interſit diſcriminis, ex adjectis figuris æſtimabis. Huic glabra eſt cutis, illi piloſa; hoc ex genere Balænarum, ille Phocarum. Hujus dens unicus ex maxilla rectus protenditur. Illius dentes bini incurvi deorſum exeunt. De Roſmaro pleni ſunt autorum libri. Nuperrimè accuratius de eo egerunt *Jo. Laet* l. 2. Braſil. c. 6. & *Wormius* noſter Magnus. Narrant Islandi Urſum & Roſtungur (ita Roſmarum vocant) qvando conveniunt, mutuis cædibus occumbere: Hunc à tergo aggredi periculoſiſſimum eſſe, contra periculo vacare, nam ſeipſum interficere, ſi dentes ſuos ſordibus aut ſangvine cernat deturpatos: Ex ipſius pelle veſtes confici optimas: Dentes ſesqvicubitum longos hominibus, cum in littore expatiantur, jactabundum oſtentare. De Spermate Ceti ſecurum Te eſſe volo, eſſe cerebri cetacei excrementum. Vidit enim ſocer meus honorandus, *Chriſtophorus Johannæus*, Conſul urbis hujus ampliſſimus, cum in inſulis iſtis Borealibus verſaretur, ex cranio balenæ captæ diſſecto pluſculas amphoras hujus ſpermatis depromtas, & magno pretio in Belgio & Lubecæ divenditas. An verò deinde ex cranio ad partes genitales qvoq; defluat, non negaverim (ut etiã hoc in paſſu verus ſit *Hippocrates*) & exinde in

mari effundatur. Illud certum eſt, pretioſius eſſe prius, qvod ex cranio hauritur, qvia & purius eſt, & rarius iſtud Cete genus capitur, qvanqvam alterum commune in mari natans ſit nautis notius. Pauca hæc monui, ut defuncti Conſobrini partibus apud amicum Te defungerer, qvem amo, venerorq;. Vale, mi Fehre, & me ama. Hafniæ XX. Aug. cIↄ Iↄc LXII.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPIST. LXXI.

An calor auctus ſit ſignum Febris?

JACOBO HOLSTIO Tonningam.

GRatiſſimas Tuas mihi hodie tradidit Vir Doctus pariter & officioſus Gerhardus Engels. Gaudeo qvod omnia Tibi ex voto ſuccedant, voveoqve perpetuitatem. Non poſſum non laudare ingentes in Re Medica promovenda & illuſtranda conatus, tuis humeris pares, qvorum ſpecimen Protopum exhibet. Necdum vacavit perlegere, ex ungve tamen Leonem cognovi, autorqve ſum, ut

brevi

brevi in publicum emittas qvæ brevibus ibi ſignaſti, ita certè optimè de publico merebe-ris, cui natus es. Vellem tamen prius vidiſſes qvæ de hoc argumento nuperrimè commen-tatus eſt Leidæ celeberrimus amicus meus D. *Franciſcus Sylvius*, qvi Disqviſitione Prima De Febribus, contra receptam hactenus Medico-rum opinionem, negat calorem auctum eſſe Pathognomonicum febris ſignum, qvia nec omni, nec ſoli nec ſemper febri competit; non ſoli, qvum non rarò in Maniacis, aliisq; nullo modo febrientibus deprehendatur calor naturali auctior: Nec omni, qvum nonnun-qvam occurrant omnium calculo febricitan-tes, in qvibus nunqvam, ne qvidem per ali-qvot hebdomadas, imò menſes obſervatus eſt in ulla corporis parte, nedum univerſo cor-pore auctus calor vel ab ipſis ægris, vel à Me-dicis, vel à cæteris adſtantibus; ſed contra frigus perſeverans, ægrisq; valdè moleſtum, qvales ægri ab aſſumptis medicamentis refri-gerantibus pejus ſemper habent, melius verò à calefacientibus, tum ſpirituoſis, tum oleoſis aromaticis. Nec deniq; ſemper febribus co-mes adſit calor, cum circa intermittentium initia plerumqve affligat ægros frigus, idqve non rarò ad horas plures durans. Signum

verò febris omnis pathognomonicum & demonſtrativum ponit Pulſum præter naturam freqventiorem, de qvo fuſius ibidem Vir in Anatome, Chymia & Praxi exercitatiſſimus diſſerit. Qvomodo flammulam Cordis Hippocraticam explices, ſcire aveo, an eadem Tibi in mentem veniant, qvæ nos olim *de Luce Animalium*, & in *Anatome Reformata* meditati ſumus. Augebis beneficium ſi transmiſeris Schediasma tuum, qvam primum prælum evaſerit, perplacent enim qvæcunq; doctior tuus calamus adumbrat. *Bilſius* jam ſilet, poſtqvam à *Stephano* meo, qvem mitto, vapulavit, & juſtas dicacitatis pœnas luit. Argumentis tamen illius favit Vir Cl. *Deuſingius* in edito mihiq; inſcripto Opuſculo de *Hepatis Officio*, cui ſatisfeci in Diſſertatione mea de *Hepate Defuncto*, qvæ ſub prælo fervet, una cum Ciſta Medica, qvam propediem videbis. Clariſſimus noſter Langius Academiæ valedixit, Judex in Cimbria Provincialis à Reg. Maj. nominatus. Hiſce qvoq; diebus magnum Academiæ ornamentum D. Bangius eſſe inter mortales deſiit, & hinc ad Conſulatum Flensburgenſem abiit Conſultiſſimus noſter Mullerus. Interea Theatrum noſtrum Anatomicum torpet & pulvere obſitum ſqvalet, ut pauca habeam qvæ de his ſacris

Tibi

Tibi perſcribam. Nuper tamen duobus canibus lien fuit exſectus, viventibus adhuc & benè valentibus. De qvibus aliisq; aliàs plura ſcribam. Jam enim avocor. Vale, Vir Cl. meqve porrò ama, ſemper tuum. Hafniæ celerrimo calamo IV. Nov. cIↃ IↃc LXI.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPIST. LXXII.

De calore Febrili. De Flammula cordis. De Lienu ſectione.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

ADmodum lætabar, cum ab amica manu amiciſſimas tuas acciperem literas; dolebamq; tanto locorum nos disjungi intervallo, ut ne eodem die in debitæ obſervantiæ teſſeram & paratiſſimorum officiorum teſtimonium, Tibi meas ſubmitterem, qvas ſeriusq; nunc mitto. Fidem meam teſtor, gratius nihil fuiſſe, qvam qvod mones de Cl. Sylvii relegendo de febribus doctiſſimo commentario, anteqvam ſententiam meam publico ſcripto luci

committam. Scripſi Hamburgum, ut ab amicis Disqviſitionem primam mihi compararem; Nihil dum nactus ſum; Cum primis navibus, qvæ abhinc Amſterodamum ſolvent, propediem curabo afferri: Qvantum ex tuis proſpicio, non adverſantur directo meis Clariſſimi Viri Placita. Non enim calorem auctum pathognomicum febris ſignum effero, qvia multis modis augetur naturalis in homine calor, ut ne ſtatim febris ſit; Tantummodo enim præternaturalem eum hic effero, qvi tantus eſt ut innatum naturalemq; ſani corporis ita excedat ut hominem offendat actionesqve aliqvas vel plures corporis ejus lædat. Nec tamen ſolus hic calor pathognomici ſigni officium mihi explet, qvamdiu differentialibus notis aliis, ad deſignandam febrem non eſt circumſcriptus. Qvod Clariſſimus Sylvius non ſoli febri auctiorem calorem adeſſe infert, ſed & Maniacis, addam ego, & iracundis & dormientibus ſanis, aliisq;, nihil mirum nec adverſum mihi cum tantus non ſit ut lædat, aliisqve præterea notis differentialibus careat. Qvod idem non omni febri caloris augmentum adeſſe notat, in exemplum adductis hiſtoriis eorum, qvi aliqvot menſes in febribus frixerunt, in eo non mihi, ſed veteribus litem

mo-

movet, qvi hujusmodi affectus ad febres non retulerunt; Eqvidem & ipſe exempla hic habeo, qvæ ſufficiant, ut ne dubitem eſſe; Verum ex veteribus teſtimonium non invenio, eſſe febres. Ῥίγος ἀνεκθέρμαντον Hippocratis eſt, qvod Hoffmannus cum ejusdem ἐλιγοπυρέτῳ idem eſſe vult; Ego hoc generale intermittentium nomen eſſe aſſero; illud proprium horroris & frigoris, qvæ ſine febre, hoc eſt, calore præternaturali aliqvando invadunt & deſinunt. Neq; enim ignorare poteſt, qvi vel leviter in ſcriptis Hippocratis Celſi aliorumq; veterum verſatus eſt, horrorem & frigus illis autoribus ſemper ſeponi à febre. Vel unicus Celſi locus lib. 3. c. 12. hoc planum facit, qvando dividenda inqvit curatio eſt & ante horror, tum febris diſcutienda; Qvo cognito, nec ſubſiſtere poteſt, qvod tertio loco Clariſſimus Sylvius urget, non ſemper febribus comitem adeſſe calorem, cum circa intermittentium initia horror affligat. Enimvero qvamdiu horror eſt, febris non eſt. Nusqvam contrarium ex Veteribus probabit qvisqvam. Vulgi enim in loqvendo morem non attendo. Idem illi horror verò intermittentium, nec qvidem pulſum eſſe pathognomi-

cum finit, qvod vult Cl. Sylvius. Sæpius enim verum obſervavi, qvod Celſus lib. 3. cap. 6. propoſuit: Nonnunqvam etiam incipiente febre (intermittente & in primis tertiana,) ſic ſubeunt & qvieſcunt venæ, ut imbecillus is videri poſſit, cui facilè laturo, gravis inſtat acceſſio; Qvo loco etiam illud addiſci poteſt, jam ante Galenum, pulſum eſſe inter febrium notas relatum, qvod refellit idem illic Celſus, venas, rem fallaciſſimam vocans; Ne calorem qvidem ſolum eodem admittit; Altera res, inqvit cui credimus calor eſt æqve fallax &c. Ego vero de pulſu longè aliter ſentio, qvam notum vulgo, qvod latius in illâ de febribus doctrina novâ exeqvor. De Flammula Cordis qvod ſcire aves faciam transmiſſo propediem, ſi non impreſſo, certè manu ſcripto exemplari ſcire poſſis. Hæc ſumma eſt, veram flammulam ex humore qvodam cordis pingvi, qvem Arabes Humidum radicale indigitant, in ſiniſtro cordis ventriculo non aliter ardere, qvam ex ſpiritu vini in linteo qvodam imbuto, flammam videmus lucem ſimul & calorem in ſenſus noſtros emittere. Non meam eſſe hanc, audeo dicere, ſententiam qvæ tota primi Autoris Hippocratis eſt, à qvo hac in parte nullatenus diſſentio, niſi qvatenus

tenus in dextro ventriculo ille infirmiorem ineſſe ignem vult; ſiniſtro validiorem; cum ego nullum in dextro admittam, niſi calorem qvi ἐπίκτητος ſolum eſt, & à ſiniſtri igne per ſeptum tranſpirat. Latius in Schediaſmate hæc perſecutus ſum, primo ex Hippocrate omnia, qve huc faciunt; deinde ex Naturâ, Ratione & experientia, in mediũ proferens. In multis mihi cum Cl. Conringio convenit; in ſyllogiſmo & concluſo differimus, qvantum cœlum & terra. Ille enim ἔμφυτον θερμὸν ignem eſſe τῶν ἄστρων στοιχείῳ parem, (qvem per ſublunarem ignem explicat) ex Præceptore ſuo docet; Ego terreſtrem præfero; & ſublunarem medio loco inter Chimæram & τραγέλαφον cum Mathematicis habeo; Terreſtrẽ a. ignem in duo ſumma ſubdivido genera, nempe in immanentem ignẽ & flammam; utriq; plures varietates relinquo. Sed de his alias plura. Ad lienis exſectionem me admiratio trahit. Nunqvam ante iis narrationibus fidem dare volui etiamſi pinguem Lugduni oſtenderint mihi Amici canem cui lien exſectus eſſe aſſeverabatur. Hærebat ſemper animo dubium, fibram reſciſſam eſſe; majori parte relictum lienem, qvoniam venarum arteriarumq; poſt vulnera σύμψιν ne continuo ſangvinem effunderent, mihi imaginari non potui. Fidæ

manui, qvæq; oculum habet, fidem nullatenus derogo, etiamſi modum ignoro. Illud tamen non credam, viſcus illud in omibus animalibus, imo etiam in canibus otioſum eſſe, qvoqve omnes ſine noxâ per vitam ſemper carere poſſint; Contra Naturæ hoc providentiam eſt, qvæ nec neceſſariis deficit, neqve otioſis abundat. Qvid eadem ſuſtinere aliqvando poſſit, id non deſpero tantum eſſe, ut merito admiremur, ut puta cum pulmonis pars vel renum alteruter aliqvando erodatur; cum vulva exciſa ſit; cum teſticuli, totumq; qvod virile eſt membrum amputati ſint. Sed de his plura me & meliora docebit, indefeſſa tua in hiſce rimandis diligentia qva non habes parem. Per fidem te oro & amicitiam, ſi qvid hujus ſive à Natura, qvam ſollicitas; ſive ab Amicis, qvos doctiſſimos habes, ſcitu dignum reſciveris, noli committere, ut ignoret diu Amicus nominis tui ſtudioſiſſimus. Si gratiæ rependere aliud neqveo, operam dabo, ut lætus applaudam laudibus, qvibus urbem ſimul & orbem imples; Coronam ego & omnes qvibus Tu faves, Stephano Tuo debemus, à qvo vapulavit demens Bilſius, qvi mitius impoſterum Heroas diſcet tractare. Qvod Deuſingius ipſius argumentis faveat, id tanto minus miror, qvanto peni-

tius

tius ipſum novi. Non credo experientiam habere illam, qvæ hic reqviritur. Cum ante qvadtiennium per Friſiam tranſirem & Groningæ aliqvantiſper ſubſiſterem, Profeſſoresq; inviſerem, qvorundam famam præſentia diminuit, qvorundam alibi auxit. Franekeræ qvi Profeſſorem Medicinæ agit multis paraſangis doctior, qvam eruditis pluribus notus Matthias Matthiæ, plura mecum inter privata colloqvia de Deuſingio, ex qvibus etſi nihil cuiquam detraxi, tantum tamen non tribui, qvantum Fama. Sed hæc inter nos, & de his impoſterum plura. Literarum autem ſi non diſplicet commercium, faciam per Generoſ. Præfectum noſtrum, qvi virtutem tuam & eruditionem non ſine tui laude ſuſpicit, ut per vices, tuas ego, measq; Tu viciſſim commodè poſſis ſingulis ſeptimanis habere. Rariores ab Amicis ſi adhuc dum vacas colligere hiſtorias, proximè ſymbolum tibi meum conferam. Communi noſtro Amico, Nobiliſſ. Viro W. Langio ſalutem datariam, qvæſo à me dicas. Non ſine literis paſſus eſſem compellare, ſi inſcriptionem Nominis & officii melius noviſſem. Fortean etiam Hauniæ diutius non ſubſiſtit. Reqviram in confinio Amicum ut literis interpellem; Etenim etiam bona nomina, dicebat Cato, fieri mala,

mala, niſi ſubinde interpellentur. Sed ne tè diutius ab officio & labore detineam hic finio. Vale Vir Nobiliſſime, & inter Nominis Tui cultores me qvoq; eſſe patere, qvi ſum qvamdiu vivo

Excellentiæ Tuæ

omni ſtudio

Tönningæ An. 1662.
Die 24. Febr.

addictiſſ.

Jac. Holſte.

P. S. Salutem ego Experientiſſimo Clariſſ. Viro, D. Simoni Pauli, ille vero mihi reſponſum debet; exſolve, qvando potes, meo nomine & roga, ut ipſe item velit, qvando vacat. Si reſcribas prius, qvam ego Tibi, qvæſo mone, qvid de Cl. Rhodii Celſo ſperare debeam? cum deſiderio ab illâ manu emendationem expecto. Iterum vale.

EPIST.

EPIST. LXXIII.

An Rigor pars febris ſit.

JACOBO HOLSTIO Tönningam.

QVæ de Febribus commentaris, magnum ingenium tuum & eruditionem produnt. Juſta verò diligentia calorem excute, qvem de Febrium omnium eſſentia cum pleriſq; Medicorum judicas. Perpetuum id negat Cl. *Sylvius*, ſicut pridem ad Te ſcripſi, cujus de Febribus Exercitationem Primam Tibi jam mitto, qvia nec dum illam vidiſti. Ante *Sylvium* in eadem ſententia fuit Magnus *VValæus*, præceptor olim noſter, cujus hæc ſunt verba l. 1. c. 1. Med. Pract. ab *Irvino* Anglo editæ: *Febris eſſentia non eſt calor, qvia rigor & horror non tantum initium febris, verum ipſa febris ſunt, habent enim pulſum celerem. Dantur etiam febres in qvibus non apparet calor. Calor enim in habitu corporis non eſt febris, ſed eſt ejus effectum.* Negas tamen rigores eſſe febres, qvia teſtimoniis veterum deſtitueris. Qvanqvam verè iſtam controverſiam non faciam meam, ex veteribus tamen dubia movebo, qvibus ferè inducor ut credam rigorem febrilem pro febris principio, adeoq; febris parte ab ipſis habitum. Loqvor autem de *ῥιγοπυρέτῳ*, ut facilior inter

nos

nos ſit conſenſus. Veteres igitur ſi excutiamus, uno ore affirmabunt rigoris febrisq; eandem eſſe cauſam, nempe calidam, qvum actuale frigus in vivente corpore non facile ab illis admittatur. Diſputat in hanc rem *Galenus* l. 5. de ſympt. Cauſ. c. 4. qvi nusqvam non urget duce experientia, febrem, præſertim intermittentē incipere à rigore, non poſt rigorem. *Abenſina* l. 4. fen. 1. tr. 1. c. 3. principium febris vocat horam in qva calor naturalis præfocatur à materia ſubmerſa in membro tamdiu, donec non appareat maturationis veſtigium. Id verò tempus ad rigorem ſpectat, nam *Trincavellius* Comm. in l. fen. 4. c. 4. docet in omni febre intermittente materiam in principio extra vaſa expelli, atq; dum expellitur, retrahi calorem ad intima corporis, tumq; fieri rigorem. Notandum verò eſt, qvod de augmento ibidem *Abenſina* aſſerit, eſſe horam in qva commovetur caliditas ad reſiſtendum. Si in augmento reſiſtit calor, certè in principio ſeu in rigore vim paſſus fuit calor naturalis, adeoq; in rigore febris fuit. Apud *Hippocratem* eſt febris φρικώδης ſeu horrifica l. 3. Epid. & alibi. De hac teſtatur *Galenus* Comm. 1. in l. 1. Epid. in ipſo acceſſionis incremento diutiſſimè ægros exercuiſſe. Ad inſtitutum noſtrum ibid.

Perga-

Pergamenus addit, Hippocratem iſto nomine neutiqvam iſtos horrores appellaſſe, qvi initio acceſſionis inceſſerunt, ſed ubi per totam prope acceſſionem producebatur ſymptoma horroris. Hinc aliorum ſubtiles magis qvam utiles æſtima conatus. *Fernelius* enim lib. 4. Pathol. rigorem initium qvidem acceſſionis concedit, non febrem qvod nondum calor ſit incenſus. *Capivacceus* verò lib. 6. De Febr. c. 9. tantum ſignum principii eſſe tuetur. Sed ingeniis certant. Neſcio an veritate, qvæ hujusmodi ſubtilitates non attendit. Qvæ enim *Capivacceus* pro ſe ex *Galeno*, & Tu ex *Celſo* affers facilè conciliaverim, ſi febris ſeu ignis manifeſtus ab occulto diſtingvatur. Occultus eſt in vigore ſeu febris principio, manifeſtus in augmento, tumq; impropriè febris demum dicitur, qvum ex *Walæo* calor ille externus in augmento apparens, febris ſit effectum. Exemplo rem illuſtrare poſſum. Qvamdiu ignis ſub cinere doloſo latet, ignis eſt, ſed appoſitis paleis fumum demum emittit qui videtur, tumq; ab ignaris primum ignis videtur per effectum. Revera enim ex ſententia veterum rigor & febris non differunt in cauſis, ſed loco. Ita *Hippocrates* l. 6. Epid. *Rigor à ſuperiori ventre, ignis ab inferiori magis:*

V Ubi

Ubi partis natura diverſa eſt, non ſpecies humoris, adeoq; rigor à febre reapſe non differt. Hinc etiam invaſiones febriles in computo Medico à rigôre numerantur cum rigore. Tandem rigores continuarum febrium, pro parte febrium in declinatione computantur, qvod paſſim *Hippocrates* innuit lib. 1. Epid. ſ. 3. l. 7. & alibi. Qvi qvidem rigores febriles tempore differunt à rigoribus intermittentium, neutiqvàm cauſâ, qvæ ubiq; calida eſt & acris ex ſententia veterum. De *Celſi* tui methodo id præterea noto, ſi qvidē medicā artem exercuit, de qvo nolim dubitare ob Viri merita, nonnunqvam rigorem à Medicis curari in ipſo rigore, tumq; à febre non eſſe excludendum. Ita *Plinius Valerianus* l. 3. Rei Med. cap. 4. ad horrores præſcribit betonicam ſub acceſſione dandam, hoc eſt, horrore in acceſſione præſente: nonnunqvam ante rigorem remediis rigorem præcaventibus, tumq; curationem præcedere febrem, ſed & rigorem febrilem, de qva curatione videndus *Mercurialis* poſt *Paulum*. Alienam cauſam ago, ſed amicorum apud amicum, Tu, amice delibera, & pro ratione & experientia ſententiam dic. Lienis exſectio ejusdem neceſſitati nihil

dero-

derogat, ſicut nec brachii, vulvæ, teſticulorum amputatio. Neceſſaria illa tantum foret in lienoſis, qvod *Fioravantius* tentavit, ſi tanta in homine facilitate amputaretur, qvam in cane. In homine tamen tentare non auderem, propter viſceris magnitudinem, & multiplices vaſorum plexus. Audax verò manus nihil non audet. Bononia nobis novam pulmonum anatomen per *Malpighium* procudit, cui pulmo nihil præter veſiculas eſt. Credo ego *Hippocratem* lib. de Carn. ſimilia divinaſſe. Deuſingius amicas reſponſiones meditatur ad Hepar meum defunctum. Nuper *Blotteſandæum* acriter repreſſit. Inſtrumentum *Boylei* Angli ad Regiam Majeſtatem venit, qvo præclara in aëre experimenta fiunt. *Langius* noſter adhuc nobiſcum commoratur. Epiſtolarum Medicarum Centurias duas prælo commiſi. Plura non poſſum, ut vides, qvanqvam pruriat calamus. Præfecto veſtro Illuſtri ſalutem officioſam tranſcribo. Vale & me ama. Hafniæ VII. Sept. cIɔ Iɔc LXII.

P. S. De calore febris qvæ ſupra cum *Walæo* dixi, non abludunt ab *Helmontii* paradoxo L. de Febr. cap. 1. cui calor eſt accidens poſterius ad febris eſſentiam. De *Rhodii* Celſo

 nullam

nullam adhuc Tibi ſpem facere poſſum. Inter ſchedas illius ad beatum Bangium allatas, invenire non potui Animadverſiones Rhodianas. Lexicon tamen nactus ſum, ut & Varias Lectiones. *Vegetius* qvoq; Mulomedicus cum Notis & Lexico ejusdem ad manus meas pervenit. Forſan per otium ſingula in ordinem redigam, ut publici fiant juris. Reliqva laudati Rhodii in publica jam Auctione cum Bibliotheca Bangiana diſtrahuntur. Vale iterum, mi Holſti. Salutat Te Cl. noſter *D. Simon Paulli*, cujus filius ad Theatrum Anatomicum vocatus eſt.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPIST. LXXIV.

De ſangvinis Circulatione diſſenſus.

ECCARDO LEICHNERO Erfortum.

TAndem debitum exſolvo. Pluſculi effluxerunt anni, qvum clari affectus indices litteræ ad me perferrentur. In ſinu gaudebam, à Tanto Viro fama eruditionis & editis publicis monumentis clariſſimo, ad literatum litera-

rum commercium me invitari, mihiq; impensè gratulabar qvod Leichnerum amicum haberem. Sed gaudii exordia improbus Mars turbavit, qvi eo maximè tempore apud nos ſæviebat, qvo primæ illæ literæ mihi reddebantur, ut nec opportunum otium concederetur reſpondendi. Jam demum, qvia ſuperatis illis procellis tranqvillitatis aliqva ſpes affulgere videatur, utinam diuturna, relegenti mihi lectiſſima pagellarum Tuarum veſtigia, offeruntur per tabellarium aliæ abs Te literæ, qvas eò avidius reſignavi, qvo charior eſſet ſalus amici & acceptius repetitæ Scriptionis argumentum. Pro ampliſſimo officio & incredibili humanitate & hic & ibi oblata, pares gratias ago, ſedulò poſthac curaturus ne initæ amicitiæ Te unqvam pœniteat; qvanqvam enim ea non ſit mea patriæve in præſenti conditio, ut ex voto laboribus tuis in publica ſcholarum emendatione impendendis applaudere qveamus, nunqvam tamen candidam voluntatem aut benè merendi ſtudium deſiderabis. Nec dum qvidqvam ex illis vidi, qvæ de hoc argumento in lucem emiſiſti, ſine dubio demorſos ungves ſapientia. Qvamprimum paginas aliqvas ad nos pertulerint Bibliopolæ, non deero ſumma fide, qvantum in me, conatus tuos pu-

blico promovendo dicatos Sereniſſimo noſtro Monarchæ ſubmiſsè commendare. Meretur ingenium tuum, meretur eruditio, meretur deniq; parta meritis fama, meretur & amicitia, ut tuo honori mea officia deſerviant, utinam ſatis pro temporum difficultate ex utriusq; voto. Literarii de Circulatione ſangvinis inter nos diſſenſus, prorſus nihil de alterutrius ſinceritate imminuent. Nec tuam eapropter voluntatem credendi cogam ego, nec tu meam. De veritate eventus judicabit, & certa experientia, qvam Tu, Vir Eruditisſime, in Exercitationibus ingenioſis Anti Harveanis, rationibus multis validisq; nullo jure poſtpoſuiſti. Seqvitur tua veſtigia *Franciſcus Ulmus* Pictavienſis, Fr. Nepos in Exercitatione nuperâ qvam contra *Harvejum* Pictavii emiſit, & qvibusdam qvoq; experimentis, ſpeciem veri præ ſe ferentibus, certat. Ante hunc Veronæ *Hieron. Franzoſius* de Motu cordis & ſangvinis contra *Harvejum* Apologiam edidit. Niſi tamen valdè fallor, minus roboris habent, qvam fiduciæ, qvod in præſenti non vacat per partes deducere, ne vel Te irritare videar, qvem officio omniq; voto devincire geſtio, vel ex Epiſtola librum conſcribere. Vita noſtra, teſte Tragico *Seneca*, abditos ſenſus gerit, ut mirum

non

non ſit, ſi obſcurus ſangvinis motus videatur, de cujus progreſſu, qvia apud plures jam invaluit, dicere licet, ſi parva magnis componere licet, qvod olim Gamaliel Act. 5. evaniturum ſi contra naturam fuerit, at perduraturum, ſi naturam habuerit faventem. Tu Vale, mi Leichnere, & fave. Hafniæ 3. Mart. CIↃ.IↃC LXII.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPIST. LXXV.

Monſtra Fionenſia.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

QVod Tuas interpellem occupationes facit non magni qvidem momenti error in capite infantis ante menſem & amplius nati expreſſus; qvem rudi penicillo, breviſſimaqve narratione delineatum transmitto, ut germana facies conſtet, ſi ejus apud Vos increbuerit fama, cuncta ex longinqvo avita in majus adferre conſveta. Anno ∞ IↃC LXII. XII. Febr. qvi primus erat Jejunii Qvadrageſimalis dies, Mercurio ſacer, Cinerumqve à

Chriſtianis vocatus, circa primam nocturnam in villâ ruſtica Gundeſe Paræciæ Fionenſis Ubberød ad ſecundum circiter ab urbe Otthonienſium milliarium monſtroſum ſeqvioris ſexus abortum octavo à conceptu menſe, anno ætatis ſuæ trigeſimo fecit Anna Johannæa, Laurentii Nicolai agricolæ conjux. Immaturam eam prolem, qvæ in ipſo partu exſpiraverat, nihil præter ſupremum ventrem deformabat. Oculos grandiora cilia, ad magnitudinem juglandium propè accedentia, tegebant. Vultus alioqvin totus juſtam decentemq; tantulæ ætatis partus ſpeciem referebat. Occiput & cervix fædos, horrendosqve aliqvantulum errores oſtentabant: à vertice namq; ad cervicem cruenta viſebatur eâ facie caro, ut mundo muliebri, qvem Balck vocant, capitis cultui deſtinato, haud abſimilis potiore parte videretur. In cervice hiatus erat profundus, per cujus latera meatus aliqvot, ſed contractiores, porrigebantur. Cæteras corpuſculi partes ita, ut dixi, effinxerat natura, ut nullum penitus deformitatis veſtigium appareret. Retulit mihi percunctanti puerpera, dum ventrem perferret, langvorem perpetuum membra habuiſſe, adeoq; totum viſum ſibi contuſum corpus: Omne faſtidiviſſe negotium,

qvod

qvod res familiaris poſtulat; cùm rariſſimam dolores acerrimi, & crebrior infantis commotio qvietem darent: rectius nunqvam valuiſſe, qvàm cùm ſacris publicis intereſſet: totâ, qvod ſciret, ætate vix ejus generis vidiſſe κόσμον γυναικεῖον, qvem infelicis filiolæ caput referebat; nec utero infauſto gravidam ejus imaginem animo ſe concepiſſe: cùm prioris mariti Johannis Johannis F. conjugio potiretur binas in pagis vicinis Betrup & Rafnebierg ſexus itidem muliebris, ſed ſine vitiis, enixam infantes, qvæ teneris annis ad plures abierunt. Certum erat parentibus, propter triſtem natæ faciem conſternatis, vitium occultare; ne caſum rariorem vulgus ſiniſtrè, ut conſvevit, interpretaretur: Verùm ſtultè veriti, ſi diſſimularent, ne ſimilis, vel alterius criminis ſoboles ab ſe in poſterum propagaretur, qvod paucos ante annos Catharinæ Chriſtierni F. eâ in vicinitate obtigerat, oculis plurimorum, inter qvos Vigilantiſſimus noſter Epiſcopus, D. Doct. Laurentius Jacobæus, ſubjici voluerunt. Catharina, qvam dixi, Jani Korſebierg in pago Spetzbierg coloni, uxor infantem filiam anno cIↃ IↃCLV. intempeſtivè procreavit. Eam obſtetrix Brigitta Johannis F. qvæ & Annæ parturienti opem ferebat,

ſanctè affirmat ſimilimam hujus nuper genitæ figuram expreſſiſſe; ſed, ne temerarium populi judicium ſubirent genitores, tanqvam integram & incontaminatam humari de more procurâſſe. Anno ſeqv. ∞ IϽC LVI. ejusdem ſexus formæqve ſecundam genuit; qvam ante ſepulturam à Viro Reverendo Dn. Alexandro Jacobi F. Eccleſiaſte Korup. & Ubberodenſe, aliisqve conſpici voluerunt, rati eô naturæ hoc erratum expiari; ac iccirco alteram inviſam ſibi ſuſceptam, qvòd de priore conticuiſſent.

Monſtroſas illas capitum formas ornamentorum fæmineorum vitia & pravitates monſtrare Sacris initiati perſvadere connituntur: Sed mihi nunqvam, qvi, cùm mille mundorum à primis mundi cunabulis uſitatorum ſpecies cogitem, nec cur una Deo ſit aliâ inviſior diſpiciam, imaginationi hæc, aliaqve ejus generis, delicta tribuo.

Benigniorem nuper expertus ſum fortunam, qvæ Tuam, Vir ſumme, conceſſit *Ciſtam Medicam*, theſauros continentem ditiſſimi ingenii, qvo Orbem univerſum tot jam annos opulentum facis. Obſcura deinceps eſſe deſinent plurimorum Medicorum nomina, qvæ hactenus in Ciſtâ & tenebris latitarunt; nec ignorabimus qvicqvid à veteri ævo vel in Dania,

nia, vel extra eam ſudarunt, qvos gremio ſuo Regni Caput fovit. Inſcriptio Monumenti Hamsfortiani, qvod heic in Æde primariâ, D. Canuto Regi dicatâ, viſitur, mutila eſt ſive meâ, qvi exſcribendam curavi, ſive Typographi negligentiâ, niſi dictionibus *ſed Annæ* interſeratur particula *&*; ut ſit *Matronæ ſed & Annæ &c.* & poſt CHRISTIANI III. REG. ſcribatur. Petrus Gaſſendus Opere de Vita Tychonis noſtri memorat D. Joh. Pratenſem adjunxiſſe Præfationem Diario Tychoniano Hafniæ anno 1573. excuſo; ejusdemq; Pratenſis laudes dicit C. Erasmus Michaëlius Lætus in Rebus Danicis, pag. 502. ſeq. item Doct. Joh. Franciſci Ripenſis; cujus & hoc elogium habemus apud Caſparem Cunradum Sileſium in Millenario II. Proſopographiæ Melicæ:

Phæbus utrumq; dedit: medicamine tollere morbos,
Atq; animum lepidis exhilarare modis.

Ita vale, Elegantiſſime Virorum, &, qvi tàm multos vel letho eximis, vel mori prohibes, æternùm vive, ut vivere divino Tuo ingenio ac induſtriâ mortui & vivi pergant; me verò Tuum eſſe permitte, qvi toto animo THO-

MAM

MAM BARTHOLINUM, Poli Borei DECUS,

Veneror & complector

Othoniæ Prid. Kalend. Junii ∞ IↃCLXII.

Jacobus Bircherodius.

P, S. Iteratam ſcribendi occaſionem præbet fœdior, deformiorq́; ludentis naturæ fætus, qvem Rudcopiæ (unicum eſt inſulæ Langlandiæ oppidum, Rudkiøbing ſive Laſtelsbiøbing incolis) parentibus honeſtis XXII. Aprilis natum Reverendus Eccleſiaſtes & Præpoſitus, Dn. Torchillus Chriſtierni F. fidem fecit Reverendisſimo Diœceſis Fionenſis Præſuli, Doctori Laurentio Jacobæo hanc, qvam calamo conſigno, faciem oſtentaſſe. Infans erat maſculus erratis obſcænioribus notatus. Calvam enim univerſam, bonamq; faciei partem atrata ſangvine, partim eminens & luxurians, partim lacunoſa & preſſa complectebatur caro, referens in occipitio ampliorem mitram, circum tempora frontem & genas, ad ſupercilia porrectum, auresq́; occupans, velamen linteum, in fronte geminatum, ac juxta ſupercilia rugoſum, cætera ſimplex, vel alia ejus generis inſignia, qvibus redimiri & decorari

rari fœminea capita ſolent. Oculorum veſtigia leviter preſſa extabant: ut & naſi, cujus ſinus alter deſiderabatur, arctior alter aſtrictiorqve apparebat. Oris rictus magis ad lævam, qvàm ad dextram diducebatur. Labrum ſuperius inciſuram grandiorem continebat, qvalis in leporibus conſpicitur. Trunco caput commiſſum erat, qvia corpuſculum collo viduatum. Digitos ſiniſtra ſex habebat: & auriculari utriusq; manus bini è tenuisſimo fili inſtar ligamine paululum demiſſi, carnoſi dependebant globuli, magnitudinem piſorum qvi aſſeqvebantur. Inteſtina, jecur, & pulmo, qvæ emanaverant qvà umbilicus eſt, extrinſecus in ventre diffluebant. Præter leviores utriusq; pedis deformitates planta ſiniſtra gibbere erat aliisq; vitiis inſigniter depravata.

Hanc ſpeciem miſellus habebat, ad hoc unum à fæcundâ naturâ productus, ut portenderet non qvieturam rerum cunctarum genitricem à luſibus, & oſtentorum procreatione, qvoad dominium obtinebit: non ut ludibrio foret cultui muliebri, qvod multi inſcienter produnt, penitus ſibi perſvadentes portentoſa ea infantium capita deteſtabiliorem mundorum turpitudinem fæminis exprobrare Qvorum ſuperſtitioni parum hactenus tribuo: pluri-

plurimum verò Tuis, Medicorum Sapientiſſime, placitis; qvibus prodigioſos errores gloriosè diſcutis & profligas. Vale ergo, & longum vive, *Vir Magne*, mihiqve ſimul fave, qvi

Tuæ Amplitudini

cultum & venerationem devoveo

Jacobus Bircherodius.

EPIST. LXXVI.

Benignum de Monſtris judicium.

JACOBO BIRCHERODIO Otthoniam.

MOnſtra mihi transmiſſa Tuum affectum ſingularem feliciter mihi portenderunt, & judicium minimè monſtroſum. Affectum dudum ſum expertus, & amavi: Judicium verò tuum etiam ex his eluceſcit, qvod in faventiorem partem interpreteris, qvæ nonnunqvam abortit Natura. Certè non ſemper artifices opera perfecta edunt, nonnunqvam titubant, ut qvandoq; bonus dormitans Homerus. Eſtq; hæc aberratio etiam vegetabilium generi communis. Cur igitur vel hominem vel brutum

ab

ab hac claſſe excluderemus? Nemo pro miraculo habet, ſi vel à cauſis manifeſtis abortivus fœtus excidat, vel gemelli ex cludantur. Utrumqve tamen vel naturæ impotentiam ſeu defectum, vel exceſſum notat. Monſtroſa verò judicia de Monſtris, monſtris rectius annumeranda. Auſim dicere, monſtroſam fore naturam, niſi in his monſtris ſubinde luderet, pro varia cauſarum conditione, ubi vel materia excedit vel deficit, vel efficiens partibus ſuis propter aliqvod impedimentum non fungitur. Ita monſtroſa foret natura, niſi in materiæ copia, gemellos efformaret, vel inopiâ deficientem aliqva parte fœtum produceret. Ex Joannitio refert *Rabbi Moyſes* Sect. 23. Aph. 1. qvod Eclipſi ſolis magna in Sicilia facta, mulieres eodem anno monſtra duorum capitum pepererint, & menſtrua per os vomuerint. Neceſſariò & homines cum cœlo deficiunt, ut mirum eſſe non debeat, qvod hiſce annis paſſim monſtra referantur, etiam duobus capitibus deformia, qvia Eclipſes magnorum luminarium ſunt freqventes. Hincq; cauti ſunt Medici in monſtrorum hiſtoria. Diſputat *Hier. Mercurialis* de M. Mul. l. 1. c. 3. cur Medici inter vitioſos conceptus monſtra non tractent, de qvibus tamen lex eſt apud *Platonem* 5. de

Leg.

Leg. clam eſſe enutrienda, & *Ariſtoteles* 7. Polit. 16. neq; alenda eſſe prodidit: concludit verò Medicos præteriiſſe hanc de monſtris tractationem, qvia monſtra in utero non ſunt morbi, eò qvod non lædant operationes ullas. Qvid igitur monſtra adeò deteſtamur, qvæ, ſi invitâ naturâ eſſent, operationes lædere deberent? Placet de his judicium magni *Cardani* qvi l. 15. de Rer. Variet. c. 80. animadvertendum monet, qvod velut in his qvæ naturaliter, freqventiſſimè & ex ordine eveniunt, qvædam monſtra contingunt, ut in partubus bicipites, Solis & Lunæ geminata viſio, tonitru acuta voce, grando media hyeme, nix æſtate, ſtrepitus locis qvietis; ita etiam in hominum operationibus eadem contingere, qvæ adeò qvibusdam naturalibus rebus conveniunt tempore & rei qvalitate, ut hæc ab illis proceſſiſſe videantur, & ob id arti meritò tribui. *Læti* noſtri Muſa lib. XI. Rer. Dan. in laudes Medicorum noſtrorum *Jo. Franciſci* & *Jo. Pratenſis* latè læteq; ſe diffundit. Videtur tamen hujus natales ad Ripas potius reſtringere, qvam Arhuſium, niſi benignè explicetur. Tibi interim Medici noſtri in acceptum referre debent hanc acceſſionem. Sed qvando manum Tuam Medicis exſolves, qvam

qvam dediſti. Excute eruditionis loculos & manu larga noſtrorum deſideriis ſatisfac, do manum, placituram eruditis *Manum* Tuis manibus illuſtratam. Prodiit anno ſeculi currentis XIX. Pariſiis opuſculum *J. de Artu* Cardinali Rupefucaldio dedicatum *De Pedis Admirandis*, in qvo pedem divinitatis notam habere demonſtrat, cognitionem ejus neceſſariam, totum eſſe hominem, totam hominis animam, rem eſſe ſacram, regulam Religionis & Nobilitatis, totiusq; vitæ noſtræ, unde valdè honorandum, nec qvidqvam dignitati illius derogare Podagram. Majora de Manu expectamus, ſi manum operi admoveris, docuerisq; cum Anaxagora apud *Ariſtotelem* lib. 4. de Part. Animal. cap. 10 prudentiſſimum omnium animalium, eſſe hominem, qvia unus omnium manus obtinet. Ego cum eodem *Ariſtotele* ibidem dicturus ſum, Te, qvoniam prudentiſſimus es, ideò manus recepiſſe, imò de manu ſcripſiſſe. Vale, mi Birchevodi, cum lectiſſima uxore liberisqve, & per manus traditam amicitiam, amicâ manu conſerva. Hafniæ XX. Aug. cIↃ IↃc LXII.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPIST. LXXVII.
De Dubiis Lacteis.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

NObiliſſime & Excellentiſſime Vir, Domine colendiſſime, Ni adeò usqve de ſingulari Tuo amore erga me certus eſſem, non auderem εὐφερομένῳ Tibi, creare moleſtias, qvas ideò lubentius committo, qvo lætari veteri de iſta habita amicitia mecum Te percipio. Notus mihi cotidiè ante oculos affectus Tuus & ampliſſima voluntas, qvæ Patavii, Johanne Rhodio, viro nunqvam ſatis laudando, interprete, me paratiſſimè excepit, cui cumulum addunt præclariſſimæ ingenii dotes tuæ qvibus totum Tu Tibi litterarium orbem devinxiſti, adeò ut injurius in me ipſum exſiſterem, ſi tanto & amico & Patrono, qvod deberem, non redderem. Stabit horum omnium memoria & ſtudium demerendi mecum, nec unqvã ero immemor obſervantiæ, qva, ſine fuco & ſanctè, εἴκαπς ἄλλος, te venerabor. Cæterũ qvæ mihi Sparta his in vitis ſit adornãda reapſe non ignotum Tibi eſt, in qva, dummodo vires voluntati ſemper reſponderent, utinam ad ſententiam amicorum ſuccedere & expediri poſſent! Seculum attigimus oculatiſſimum & ad-

& admiranda animi ſolertia inſtructum, in qvo veterum improbi labores umbræ modò apparent, adeò & ad ungvem ferè enucleatis & abſolutis artis medicæ principiis. Verùm video multis non placere hoc augmentum, & deſpicatui non ſemel haberi doctiſſima illa utiliſſimaq; otia, ut proindè ſi vulgo aſſentiendum, in ſpe & ſilentio vitam tranſigere tutiſſimum ſit. Ego contra, boni & fidelis animi conatus promoveo neqve cenſuras timeo nec curo. Sed ad alia divertor. Vidi ſeriem librorum à Te editorum, qvorum incredibili deſiderio teneor, qvi tamen apud nos nullibi proſtant. Belgarum etiam & Anglorum ſcripta vix ac ne vix qvidem ad nos perveniunt. Proinde, ſi precibus meis à Te impetrare hoc poſſum, ageſis, Hauboldum Bibliopolam veſtrum urge, qvo impoſterum illorum omnium qvantum fieri poterit, copiam faciat, noſtrisqve mercatoribus Francofurti communicet, qvibus in mandatis dedimus ut precio perſoluto, nomine noſtrum acciperent. Hoc ipſo & mihi & Collegis meis, Rolfinckio & Mœbio, qvi Te impenſiſſimè amant & honorificè ſalutant, gratiſſimum facies officium, à qvibus qvicqvid deſideras, cum ſcripſeris, impetrabis. Mentionem in Spicilegiis video factam eſſe Bennetti,

 cujus

cujus ſcriptum vehementer deſidero, ſub manibus enim habeo hiſtoriam humorum univerſalem, cui apprimè liber iſte inſerviret. In circulatione ſpiritus animalis dubium adhuc ingens alo. Salivales ductus pro lymphaticis agnoſco. Sylvii & Hornii diſſertationes ſuper his deſidero, ut & Börnichii. Circa uſum lactearum qvæ enata mihi dubia fuerunt, addidi exercitat. Anat. lib. 1. eaq; cenſuræ Tuæ ſubmitto. Ubi ſcivero, Te minus moleſtè laturum literarum commercium, ſingulis nundinis Francofurtinis hoc continuabo. Hac vice amore magis impulſus ſcribendum putavi, non ut oſtentarem prudentiam. Vale Nobiliſſime Vir & fave.

T. amantiſſimo

Jenæ d. 6. Mart.
1662. Joh. Theodoro Schenck.

EPIST. LXXVIII.

Dubia Lactea & Lymphatica ſolvuntur.

JOH. THEOD. SCHENCKIO Jenam.

SEmper Tu mihi in oculis, in mente fuiſti, ex qvo nos Patavium olim ſejunxit, qvanqvam

qvam enim literarum exinde inter nos qvieverit familiaritas, tam fixas tamen radices apud me egerunt præclaræ virtutes tuæ, qvibus mihi placebas, ut diffluere inter tot temporum locorumqve mutationes, non potuerint. Idem Tibi accidiſſe, ex animo lætor. Jam propius cœptam olim recolamus amicitiam. & anniverſario minimùm literarum alloqvio ſtabiliamus. Scribendi materiem nuper ſubminiſtraſti amiciſſimis literis, qvibus dubia Tibi circa uſum Lactearum Thoracicarum enata, & Lib. 1. Anat. Exercitationum VII. ſignata meæ Cenſuræ ſubmiſiſti. Qvanqvam verò tantum mihi non arrogem, ut cenſoriâ Virga Magnorum Virorum, inter qvos Tu locum mereris haud infimum, ſententias & opiniones examinare præſumam; fretus tamen Tua humanitate, ipſo Te jubente, amicè monebo, qvid ad dubia dici poſſit qvæ in Eruditiſſimis Exercitationibus eruditè annotaſti. Prius tamen in aurem Tibi dictum velim, non pauca in Hiſtoriâ mea de Lacteis Thoracicis à me eſſe ſcripta, qvum nec dum in accuratam Vaſorum Lymphaticorum notitiam perveniſſem, proinde nonnulla ex his mutanda eſſe, qvod ipſe non monitus, perſpicies. In reliqvis igitur brevis ero, ne de Tua pru-

 den-

dentiâ & ſcientiâ videar dubitare, qva abunde inſtructus ipſe rerum momenta noviſti expendere.

In Primo Dubio advertas velim per arterias ventriculi nihil attrahi, ſed per venas, qvicqvid attrahitur, ex qvibus ad cor longior via. Deinde ſpirituoſa illa rerum effluvia, nonnihil qvidem reficere partes, non verò alere aut reſtaurare, unde non ſufficiunt in reali partium indigentia & inſtauratione, qvæ ſit duratura. Rectè qvidem Alexius apud *Athenæum* XV. Deipn. maximam bonæ valetudinis partem dixit odores cerebro bonos objicere: Sed his venter non ſaturatur, qvanqvam in ſpecu ſis, ubi vel thura venduntur, vel ſiculus coqvus habitet. Nam illos, qvi circa Gangis ortum habitabant & vaporibus aſſarum carnium & fructuum ac florum odoribus enutriebantur, de qvibus *Strabo* Lib XV. Geogr. dudum cum vaporibus evanuiſſe ſcio. Democritus qvidem apud *Diog. Laertium* Lib. IX. propinqvus morti panibus calidis ad nares admotis vivum ſe ſervavit ad tres dies, deinde tamen placidè expiravit.

Ad Secundum noto; Syncopen in jejunis non à nervis deducendam, ſed à defectu novi alimenti, qvo ſangvis in corde circu-

lan-

landus reſarcitur, niſi conſvetudini hic aliqvid tribuendum. Qvid alioqvin in inedia vellicaret nervos? Forſan acida? At cur non vaporibus potius, qvibus tantum faves, ad cor tendentibus, qvam nervorum conſenſu, ſuctum iſtum ſeu vellicationem aſſignas?

Tertium faciles largimur. De Lymphaticis enim qvæ poſtera cura invenit, priora vel illuſtrant, vel ſupplent, vel emendant.

Ad qvartum dico: Hydropem thoracis partim ex Lymphaticis ruptis, vel dilatatis, partim ex Lacteo Thoracico colligi, qvi Lympham qvoq; vehit. Atrophiam inde ortam eleganti exemplo illuſtras, nec id uſum noſtrum infringit. In hujusmodi enim ruptura unà effluit ſerum & chylus, unde plerunq; tales hydropici reliqvo corpore tabeſcunt.

Ad Qvintum; *Galenus* de Pulſ. ad Tyron. cap. 2. mutari pulſum ex cauſis p. n. docens, copiam ciborum qvoq; affert. Et de affectibus ſtomachi ibidem acturus, compreſſionem, à qva pulſus mutatio, fieri dicit tum à cibis gravantibus, ſola abundantia moleſtis, tum ab humoribus qvibusdã, qvi in eum confluant, non mordicantibus. Nobis facilius talem pulſuum mutationem concedes, qvi non facultatem tantum, ſed ipſum cruoris in-

X 4 fluxum

fluxum pro pulſu urgemus. Diſtinctionem à Te deſideratam ægri confeſſio dabit ex cauſis prægreſſis. Antipater apud *Galenum* Lib. IV. Loc. Aff. c. IX. eſſentiali aliqvo cordis affectu laboravit, qvia iſtam in pulſu inæqvalitatem non poſt ſumptum cibum, ſed integro ſex menſium decurſu ſenſit.

In Sexto Dubio, rectè utrumq; jungis. Suffocatur enim cor ab internis vel externis cauſis. Externa tamen diaphragmatis compreſſio rariùs & ægerrimè cor ita adſtringit & in anguſtum compellit, ut ſtatim motus ejus intercipiatur. Premitur qvidem in Hypochondriacis, Scorbuticis, Hydropicis, ſtrangulatione uteri, ſed tum vel lentam mortem inducit, vel interno humorum vaporumve accedente affluxu necem accelerat, tumq; copia ſua vel cor vel pulmones implet. In aſthmatico tuo piſtore qvomodo uſus meus explicetur, addam; Summa ingluvie copioſius ingeſtâ, cocta cum pane cereviſiâ copioſum chylum celeriter propter aviditatem coctum, & cordi infuſum, qvia pulmones obſtructi partem neqviverunt recipere, ſuffocationis occaſionem dediſſe mihi fit vero ſimile; alioqvi, ſi tardior facta fuiſſet coctio vel diſtributio, diutiusq; moram in lacteis traxiſſet

ſet alimentum, copia pulmo & cor obrutum non fuiſſet. Rectè enim *Bennettus* in Theatr. Tabid. Veſt. Exerc. X. monet, nonnullos præſertim ſeniores aſthmate vexatos ſe noviſſe, qvibus cum ventriculus & inteſtina laboraverint, ſpirabilia liberari & vice verſa. Qvia nempe ventriculo & inteſtinis laborantibus tardior fit Chyli, aliàs copioſè irruentis, diſtributio. Hinc â moderata tali ſorbitione & diſtributione aſthma nonnunqvam curatur, cujus Exemplum habet *Zvingerus* lib. 3. Theatr. Vit. Hum. de Jeremia Triverio Medico, qvi ebrius & de ſolo potu cogitans, primario Viro Antverpienſi Catarrho laboranti & in extremis verſanti Cereviſiam tepidam cum ſaccharo & pane ſvaſit. Jucunda eſt hiſtoria, qvam non repeto, qvia *Zvingerus* obvius, & eandem recitavit, nuper Vir. Cl. *Mart. Schookius* in curioſo libro de Cereviſia cap. 42. De fungis non liqvet, an flatibus, an veneno ſuo Braſati familiam ſtrangularint. De veneno res clarior propter exempla adducta â *Galeno* l. 2. alim. Facult. c. 69. *Foreſto*, *Hildano*, *Zacuto*, aliisq; qvos hic longum eſſet recenſere, Tibi juxta mecum cognitos.

In ſeptimo dubio *Hippocratem* oppugnas. Qvæ enim de gibbere â cauſa interna loqveris, *Hippocrati* adverſantur, qvi L. de Articulis de

gibbere ex morbis loqvutus, ait: *qvibus adhuc pueris ante perfectum corporis augmentum, ſpina in gibbum attollitur, iis corpus ad ſpinam augeri non ſolet.* Cur id? qvia credidit vaſa ſangvinea qvibus corpus κτ̄ ῥάχιν nutritur, comprimi: *Galenus* in Comm. L. 3. receptaculorum diſtortionem tum inculpat, motionis difficultatem & laborem. At verò, ſi cætera receptacula Spinæ vicina, ſi vaſa vulgaria comprimuntur & diſtorqventur, qvænam qvæſo prærogativa lacteas thoracicas ſpinæ accumbentes huic difficultati eximet. Rationem, cur pueris tantum hæc diſtortio ſit impedimento, hanc eſſe credo, qvod adultiores huic malo aſſueſcant, & cum corporis incremento qvoq; dilatentur vaſa diſtorta. De Senibus qvoqve notanda illa contra Te, qvæ idem *Hippocrates* poſt paulò ſubjngit, nempe ſalubriter multos ad ſenectutem perveniſſe, ſed qvibus corpus carnoſum & pingve eſt redditum, qvod perrarò obſervamus, plerunq; enim & ferè omnes qvos ego vidi, macie confecti fuerunt: deinde pleroſq; citius mori, nec annum ſexageſimum attingere, qvanqvam adulto demum corpore diſtortio ſpinarũ accedat. Prudenter *Galenus* advertit robur naturæ, mali mediocritatem, & victus rationem in tali caſu advocandam! Qvod in illis advertas velim

lim qvos annoſos lætè degiſſe ſcribis. Naturæ robur illis fuit, qvibus per anguſtas compreſſasq; venas thoracicas lacteas, chylus vel pelleretur validè vel fortiter attraheretur. Deinde mediocris lactearum diſtortio fuit, ex mediocri ſpinæ deformitate. Deniq; victus ratio tota talis fuit, ut pauca copia & pedetentim chylus per anguſtas lactearum vias penetrarit. In externa cauſa qvod vim qvoq; patiantur lactei ductus, facile erit demonſtratu, premuntur enim nervi ex ſpina eo loco exeuntes unde non rarò paralyſin legimus ſeqvutam, qvi certè æqvè ad extenſionem ſeqvaces. Hinc etiam totius corporis impotentia & ſtupor ex *Hippocrate*. Ex qvo inſuper notandum libro de Articulis, ſpinæ contorſiones verſus interiora periculoſas eſſe qvando in anguli non in circuli flexum commoventur, qva commotione, ſiqvidem ex eodem *Hippocrate*, urina & ſtercus ſupprimitur, pedes & crura perfrigerantur, qvid de lacteis dicturi ſummus? evadentne commune periculum? an hæc ſuppreſſio excrementorum ſine nauſea? Reliqvas gibboſitates qvanqvam tantum periculum non afferant, periculo tamen & noxiæ obnoxias laudatus *Cous* decernit. In κυβώσει igitur ſi ad circulum emineat ſpina, levius damnum patitur lacteus, ſi ad

ad angulum graviſſimum, unde tales obſervavi macie notabiles eſſe. Ad latera qvoq; ſpina torta, torqvet qvoq; lacteum, qvi qvanqvam in tali ſcolioſi, non prorſus excludat chylum, eundem tamen nonnihil obtorto itinere retardat, ſumma: niſi adſint conditiones â *Galeno* ſupra notatæ, in ſingulis ſpinæ contorſionibus, ea ſymptomata ex impedito chyli Commeatu prompto ſe prodere poſſunt, qvæ in loco ſignavi.

Octavum dubium non me, ſed *Riolanum* ferit, qvi commodam hanc viam apprehendit, pro ſalvando dogmate de propagatione ſtrumarum ex meſenterio ad collum. Ipſe ſibi tamen non conſtitit. Nam contra *Pecqvetum*, cujus experimenta nolens volens admiſit, vitium glandularum ſtrumoſum non elucere ſcribit in iſtis locis, niſi radices egerit in meſenterio. At in *Encheiridio* L. 2. c. 18. ſtrumas rarò emergere *magno numero* aſſerit, niſi radices egerint in meſenterio. Generalis eſt obſervatio *VVhartoni* Cap. XL. ſine loci determinatione: Eos, qvi ſtrumis externis aſſiciuntur, internis ut plurimum laborare. Litem hanc in præſenti non faciam meam, an ſympathia illa, ſi qvædam ſit, debeatur lacteo thoracico, vel lymphaticis vel potius nervis qvibus id tribuit *Charleton* Oecon, Corp. Exerc. X. §. 7.

No-

Nonum, decimum, & undecimum dubium illi Tibi eximant qvi dubitandi dederunt occaſionem. Hic enim ego extra teli jactum ſum conſtitutus.

In duodecimo, optarem qvoq; & ego manifeſtam communionem inter lacteas & emulgentes, qvæ in illis eſſe, qvi facile in Diabeten incidunt, non auſim negare, ſi qvidem vicinitas ſufficere Tibi non videatur, cujus tamen beneficio multas in corpore μεταστάσεις fieri obſervamus, viis nobis qvidem, neutiqvam Naturæ, aut viventi corpori, ignotis. Ita in Iſchuria pertinaci obſtructis renibus & ureteribus, per alvum vicinam expurgatum ſerum ad pluſculos dies hiſtoriæ Rariores teſtantur, noſq; hiſce diebus exemplum habuimus in viro Religioſo, qvi Iſchuriam moleſtam ad diem qvartum decimum protraxit alvo ſemper lubricâ ſerumq; copioſum reddente. Eadem vicinitatis ratione fœtus ex umbilico vicino obſervatus eſt prodiiſſe, nobiſq; in Muſæo ſuperſunt oſſicula benè multa, qvæ non ita pridem ex umbilico mulieris, Lallandiæ diſrupto poſt annos imprægnationis 19. prorupere.

Tertium decimum clarius elucelcet, ſi hæc ad mentem revocaverimus. Primò qvæ jamjam dixi de vicinitate, & corpore variis modis

modis patulo, deinde diuretica pleraq; ſua ſponte ferri ad urinæ vias, qvas non expectant donec per univerſum fiat circulatio, ſed proximam hanc vicinitatis viam ſtatim eligere, eamqve penetrare ſive ſubſtantia ſive virtute. Exemplo ſint Cantharides, qvæ rectà veſicam petunt, non alias partes, qvas rarò exulcerant, qvia illas non pervadunt.

In qvarto decimo dubio nullum remanebit dubium ſi naturam τῶν ἀφροδισιακῶν conſideraveris. Flatu pleraq; agunt & ſubſtantiæ tenuitate, qvæ facillime in longo itinere vel evaporant vel imminuuntur. De ipſa materia ſeminis vide qvæ ſcribat nuper *Antonius Everhardus* Medicus Medioburgenſis in Lib. de Hom. brutiq; Exortu. Obſervavit ille in cuniculis junioribus diſſectis manifeſtè diſtributionem vaſorum lacteorum copioſam ſurſum, deorſum, ad latera, in omnes omnino corporis partes, præcipuè glanduloſas. Unde p. 18. concludit, horum vaſorum beneficio ſuccum benignum delatum ad teſtes, beneficio rami chyliferi unà cum vaſis ſpermaticis in teſtium ſubſtantiam ſeſe inſinuantis, converti in liqvorem ſeminis albicantem, qvi fermentetur ibidem mediantibus calore ſangvinis arterioſi, & ſpiritibus animalibus. En habes

bes rami chyliferi ingreſſum, qvem deſiderare ſupra videbaris, & qvid chylus ille ad ſemen augendum ſine cordis tranſitu poſſit.

Ad Dubium Qvintum Decimum dicendũ, pro urinarum odore non ſolas lacteas me advocaſſe ſed illas in cauſa eſſe cur odorem aſſumptorum ſubinde retineant urinæ. Certè niſi hanc viæ brevitatem amplectamur, ratio nulla cogitari poteſt prægnans, cur non potiùs ſudores, ſangvis, mucus cœteraq; Excrementa benè oleant vel malè, ſi aſſumpta tot in corpore ambages qværunt ſemper. *Fernelius* Lib. 3. Pathol. c. 12. à moſcho qvoqve vel Sylphio urinas odoris ſvavitate afflari, à putri caſeo, allio &c. fœtorem contrahi affirmat. Dic jam mihi cauſam, cur ſolæ urinæ ita inficiantur? Cur in itinere longiori aliæ partes non æqvè thus myrrhamvè oleant, ſiqvidem compendia noſtra Tibi fœteant. Scio laudatum ſupra *Bennettum* Exercit. 29. de fonticulis comperiſſe allii intus aſſumpti odorem, & aceti aut ſucci limoniorum & aurantiorum acorem tertiâ aut qvartâ à comeſtionis horâ exhalando pervadere & eorum labra incidendo vellicare; ſed id raris annumero, & rectè idem monet in rarioris contexturæ individuis accidiſſe, qvæ nempe paria non ſunt edoman-

mandis fœtoribus. Alexander Magnus qvidem odorem ex cute gratiſſimum efflavit, ſed id alimentorum fragrantiæ non debuit, ſed fervido & igneo ſuo corpori, ſi credimus *Plutarcho* in Vit. Alex. qvem ſeqvitur Magnus *Voſſius* Lib. 3. Idolol. cap. 30. qvo referendus qvoqve eſt Leonardus Donatus Venetorum Princeps, apud *Andream Maurocenum* in Vit. ejus pag. 39. cujus cadaveri odor ille à putredine inductus videtur.

Ad Dubium Decimum Sextum, renum vaſorumq; huc pertinentium dilatationem tecum agnoſco, qvam in ſectionibus calculoſorum non raro adverti. Cæterum juxta mecum fateberis, facilius ex retectis lacteis vicinis monſtroſa hæc excreta deduci, qvam ſi per univerſi ferè corporis anguſtias debeant deferri, præſertim ad normam contentorum dilatatis; niſi nonnulla ex relatis ad incantationem referre placeat cum Eruditiſſimo *Horſtio* in Manuduct. qvod confirmat *Eiſenmengeri* obſervatione, qvi vidit puerum muſcas, pulices, dentes ovillos, ſevum, nummos & alia mingentem, à qvo nec diſſentit in Trichiaſi illa *Schenckius* in Obſ. Sed incantationi non libenter tribuerim illa qvæ per naturam explicari poſſunt, & qvanqvam ſimilia per incantationem

onem corpori inducantur, per naturæ tamen vias ex corpore educuntur. Majorem incantationis ſuſpicionem præbet mictus lapidoſus, non ille qvidem calculorum parvorum innumerabilium, qvem Tulpius L. 2. obſ. c. 47. deſcribit, nosq; aliqvando vidimus; ſed ubi & magnitudo calculorum & ſubſtantiæ ſoliditas, admirationi fuit. Puer Danus calculos excreviſſe dicitur majores juglande, ſaxo duriores, in Technicotheca Sereniſſimi Regis noſtri aſſervatos. An huic monſtro monſtrum ſubſit, ambigere cogor. Adductus enim huc puer & in arce diligenter cuſtoditus necdum nobis hujus monetæ calculos minxit, qvanqvam ſubinde illorum dolore preſſus convelli videatur, & ego in urethra cicatricem vix conſpicuam qvæſiverim, ubi ob calculi magnitudinem ruptam aliqvando retulit. Tales ſilices ſed minores ex puero rejectos mihi miſit Vir Clariſſimus D. *Heunius* Profeſſor Gryphiswaldenſis. Facilius fidem omnem merebuntur qvæ ego per lotium ſcripſi fuiſſe excreta, in qvibus non tam obſervata fuit monſtroſa magnitudo, qvæ membranoſas tamen partes dilatare potuit pro exitu faciliore, qvam qvod novo lactearum novarum compendio, incorrupta ad vias urinæ penetraverint.

Detimo ſeptimo dubio vix dubium ineſt. Cur vero glandularum lactearum peritonæo immerſarum operâ citius in tumorem aqveum ſumto potu elevetur abdomen, hæc cauſa eſt, qvod anteqvam ex ventriculo & inteſtinis ad venas lacteas, ex illis ad organum ſangvificationis, exinde ad arterias, & ex his ad peritonæum, & ex peritonæi arteriolis diſtillet in cavitatem, mora longior reqviratur. Ex ſola verò ventriculi & inteſtinorum inflatione, Aſcites non oritur, qvem ex mea obſervatione in amico potus Cereviſiæ Roſtochienſis provocavit, Nec in omni hydrope ſemper ventriculi adeſt imbecillitas, qvum hydrops ventriculi non ſit affectio, ſed tandem in mali commercium trahatur, qvod vel comprimatur inferiorum viſcerum diſtenſione, ut continere non poſſit alimenta propter anguſtiam vel oneretur ab aſſumptis, qvæ propter inferiorum obſtructionem diſtribui neqveunt, vel in diuturno hydrope ab acri ſero coacervato corrumpatur, qvod in Friderico Palatino obſervavit *Smetius* Lib. X. Miſcell. Med. fibræq; exinde laxentur, ſicut notavit in hydropica Joanna *Jodonus* in Obſ. Riverio communicatis. Et qvanqvam ventriculi vitio aqva increſcat, qvemadmodum in hydropica

Pata-

Patavina ulcere ventriculi laborante notavit *Rhodius* noſter Cent. 3. Obſ. 4. hydrops tamen dici non meretur, anteqvam cum ventriculo univerſum abdomen impleatur, qvod noſtrorum vaſorum compendio facilius aſſeqvimur, qvam veſtro. Alter particularis hydrops ad hanc lineam non ſpectat, qvo vel ſolus ventriculus ob pylori vitium, vel aliæ partes ſolæ inflantur, niſi in tali ventriculi affectu, vaſa lymphatica hauſtum liqvorem attrahant & ad veſiculam chyloſam ſeu Receptaculum deferant. Iſta verò in ventriculo accuratè depinxit ὁμόψηφος meus *Rudbekius* Tab. V. edit. Heidelb.

In Decimo Octavo Dubio Tibi litem non movebo, qvi lymphaticorum vaſorum incremento favere debeo, & applauſum Tuum in Decimo Nono, amo laudoq;.

Vicesimum Dubium non ita pridem ſolutum eſt aliorum eruditorum auxilio. Obſervavit enim ipsâ autopſiâ diligentiſſimus *Ant. Deuſingius* Inſtit. Anat. part. 7. c. 3. innumerabiles ramos lacteos per ligamenta uteri lata, ad ipſa cornua, totumq; uteri corpus decurrentia in catella fœta, qvin & cum vaſis umbilicalibus lacteum ramum ingredi per umbilicum catellorum in utero contentorum

notavit idem Vir Clariſſimus. Hincq; facili operâ reliqvas ſuſpiciones diluerem, qvæ circa fœtus nutritionem per os enaſcuntur in erudito Tuo commentario, niſi accurato ſtudio hoc argumentum tractaſſent *Harvejus*, *Courvetus*, *Deuſingius*, *Segerus*. Nolo enim actum agere, nec epiſtolicâ licentiâ abuti. Surculus lacteus ad ubera canis tendens à Te obſervatus, oppidò neceſſarius gratusq; venit, cui ſimilem canaliculum ex Thoracico ad muſculos thoracis, adeoq; ad ipſa ubera furtim ſerpentem deſcripſit feliciſſimus *Pecqvetus* in Diſſert. Anat. Contr. Riol. Experim. IV. Cætera pleniorem Epiſtolam reqvirunt, jam enim avocor. Tuum erit promptam meâ voluntatem & in reſpondendo libertatem, in amici partem, more tuo interpretari, meq; vel veteris amicitiæ recordatione vel bonis renatæ auſpiciis, porro amare, nec credas diſplicere mihi hæc commercia, ut potius ſæpius in anno optem nundinas recurrere. Vale, mi Schencki & cum Magnis Tuis Collegis Rolfinccio & Mœbio Rem Medicam illuſtrare perge. Scripſi Hafniæ XV. Auguſti cIↄ Iↄc LXII.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPIST.

EPIST. LXXIX.

De Secreto Antiepileptico.

Thomæ Bartholino Hafniam.

Elapſo auctumno literas ad Te, Vir Excellentiſſime, qvibus Seidelii obſervationes inſerueram, transmiſi, qvas Tibi tum temporis redditas eſſe nullus dubito. Paulo poſt Exc. D. Joh. Heunius h. t. Rect. Magnif. qvod promiſerat, etiam miſit, verum qvia nullæ tum amplius naves, qvantum mihi qvidem reſcire licuit, ad vos commearent, ad hunc usq; diem apud me illa retinui, qvæ jam à noſtrate nauta accipies. Deſcribit in his ſuis literis caſum ſui olim famuli. Ego hac hyeme optime & amiciſſime mi Bartholine ſalutarem ſummo Numine benedicente vidi effectum amuleti tui Anti-Epileptici.

Proximo ad finem decurrente anno ſæviſſimo morbo cum variis ſymptomatibus corripiebatur annorum 14. ſummi apud nos Viri filius chariſſimus, inter qvæ ſymptomata inprimis pientiſſimos Parentes terrebant convulſiones epilepticæ, qvæ ultra qvinq; plerumq; horas ſed per intervalla ſe extendebant. Ego qvoq; in conſilium vocatus, præmiſſis & adhibitis iis, qvæ morbus poſtulare videbatur,

amuletum qvod præcedente auctumno, tempore â Te præſcripto, collegeram, appendi curavi, neq;, poſtqvam illud debito modo remotũ eſt, in hunc usq; diem inſultus epilepticos ſenſit. Ego hercle non exiguum inde percepi gaudium cujus & Te amiciſſime Mi Bartholine participem facere volui, & ſane eſſet in votis, ut tale qvid etiam haberemus contra calculum & inprimis illum, qvi in veſica hæret. Ego enim per ſesqviannum & qvod excurrit talem apud me foveo, qvem eqvidem ex meo corpore vellem eſſe qvam excluſiſſimum. Adhibui, qvæ paſſim apud noſtros contra veſicæ calculum commendantur, plurima, verum hoc eventu, ut non parum apud me optimorum Authorum fides vacillare cœperit. Poſtqvam enim ab uſu arcani illius infallibilis â Camerario Memorabil. Centur. VIII. §. 75. ex Foreſt. Lib. 24. obſ. 25. in Schol. deſcripti nil adjumenti ſenſi, & ab eo, qvod apud J. Heurnium in Methodo ad Praxin Lib. 2. m. pag. 280. Forlivii ſecretum dicitur, peſſime habui, ſane cum elegantiſſimo Tulpio Lib. IV. cap. 29. miſereri me cœpit artis noſtræ, non ſolum ideo, qvod veritatem ubiq; neqveat expiſcari, ſed etiam qvod non ſervet in eo fidem, in qvo tamen tam conceptis verbis fidem ſuam obſtrin-

ſtringit. Verum Tu optime Mi Bartholine dic mihi bona fide, qvidnam ſentias de calculo veſicæ, an Medica ope ita poſſit confringi, ut ſine noxa exeat. Multi ſane id ajunt, non pauciores verò, uti etiam Tibi conſtat, id negant. Tu in eodem mecum valetudinario conſtitutus (olim id mihi faſſus es) remedium, ſi qvod datur, communicabis. Interea verò ut qvam belliſſime valeas ex animo vovet

T. E. Obſervantiſſ.

Straleſundii
Ao cIↃ IↃc LXII.
d. 17. Martii.

Chriſtianus Willichius L.

EPIST. LXXX.

Remedia ad calculum. Calculi pulmonum.

CHRISTIANO WILLICHIO Straleſund.

QVas elapſo autumno miſeras Obſervationes *Seidelii*, rectè accepi. Publicè proſtabunt, qvam primum ſe obtulerit occaſio. Nihil gratius mihi eſt amicitia Cl. D. *Heunii*, cujus eruditas literas cum rara hiſtoria hominis calculoſi miſiſti. Similis puer nobis hic viſus.

Lapides juglandis magnitudine viſi, & Sereniſſimo Regi oblati, ſed ipſam mictionem non vidimus, qvanqvam accuratè in Arce Regia fuerit cuſtoditus. Gaudeo qvod ſalutarem vim amuleti Antiepileptici expertus ſis. Deſideras ſimile remedium probati uſus contra calculum. Certè qvot calculoſi, tot ſingularia remedia numerantur, qvia uni raro prodeſt, alteri qvod profuit. Sexcenta ego olim, qvum Neapoli doloribus his vexarer, in uſum vocavi, plurimis proficua, ſed ex nullo ſenſi levamen, niſi ex aq. Cortic. fabar. qvam etiam aliis poſtea exhibui, ſed fruſtra. Apud nos tria in uſu ſunt, & vulgo commendantur. Alii enim ſummo cum ſucceſſu allium in ſp. Vini devorant, & externè ex eodem allio cum oleo placentam imponunt. Alii baccas juniperi cottidie mane deglutiunt, vel ſpiritum Juniperi ſubſtituunt. Nuperrimè Tinctura illa Solaris Amelungi, qvæ Lipſiâ ad nos adfertur, in pretio eſſe cœpit, qvam ſatis laudare nemo poſſit, qvanqvam ingrata ſit, ſine dubio propter Tartarum, delicatioribus. Cætera non memorabo, paſſim obvia. Soleo ego ad præſervationem uti cereviſia, in qva ſemen Dauci infuſum in prima fermentatione, qvod ſecretum ex Monachis Flandris profectum. Hoc modo frangi calcu-

calculus poteſt, anteqvam concreſcat & augeatur in renibus, qvi deinde durior grandiorq́; potius pertranſeuntes viarum anguſtias franget, qvam ipſe ullo lithontriptico frangatur. Tibi meliora precor, qvam ut hanc carnificinam experiaris, qvæ omnia viſcera excruciat. Hanc clauſulam addo, qvia, dum hanc ad Te Epiſtolam expedio, tuſſi vexata uxor juvencula amici mei, per tuſſim excernit aliqvot lapillos, angulares, albos, magnitudine lentis, magno tuſſis levamine. Idem in Reverendo Viro obſervavi, me præſente, calculum expuente, qvem ex cava pulmonum ſubſtantia prodiiſſe ſuſpicabar ibi genitum loci commoditate à materia bronchiis impacta, & vellicante membranas ad tuſſim ferinam. Similia exempla hanc hiſtoriam confirmantia, peti poſſunt ex *Tralliano* l. 5. c. 4. *Dodonæo* obſ. c. 23. *Chifletio* obſ. 38. *Hildano* Cent. 2. obſ. 29. *Platero* l. 1. obſ. aliisq́;. In aliis qvoq́; corporis partibus calculos generatos ipſe non ignoras, ut hac opera ſuperſedere poſſim. Qvæ dubia Anatomica deſideras, haberi non poſſunt. Recuduntur in Belgio. Cornarius verò lingva vernacula eſt editus. Vale, mi Willichi, &, niſi grave ſit, incluſas literas Cl. Heu-

nio transmitte. Hafniæ IX: April. cIↄ Iↄc LXII.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPIST. LXXXI.

Monſtroſi Fœtus Anatome.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

Cum Doctiſſimus D. Matthiſius abitum pararet, mihiq; ſua officia benevolo animo offerret, non paſſus ſum hanc mihi eripi occaſionem, qva & Tuis gratiſſimis reſponderem, & veterem meum affectum teſtatum facerem. Legi nuperrimam Tuam de Hepate Diſſertationem, Bilſio ejusq; fautoribus oppoſitam, elegantem ſanè & nervoſam, cui neſcio qvid reponi poſſit cum ratione, nam cavillis certare, à generoſo Tuo pectore eſt alienum: in qvibus tamen illi homines proram & puppim videntur conſtituere, qvod ſatis oſtendit in Prodromo ſuo Deuſingius, qvem Blotteſandeo oppoſuit, qvo in ſcripto, ſi unqvam alias, certè nunc animi ſui impotentiam ſatis oſtendit. Neſcio qvi Bilſius tot fautores paſſim repererit, cum omnes hactenus vana ſpe elu-

eluſerit magnaq; ſua ſecreta ſibi ſoli reſervaverit. In cadaverum conditura aliqvid ipſum poſſe, ſpecimina fidem faciunt; de reliqvis maximoperè dubito, nec dubitare deſinam, donec oculatæ manus dubitandi omnem anſam abſtulerint. Brachium, qvod ad illius imitationem, ante 14. menſes conditurâ præparavi, an cum ipſius artificio certare poſſit, non eſt meum judicare, qvippe memoria mihi excidit externa corporum ab ipſo præparatorum forma; ſi fides habenda ſit aliorum judiciis, qvi recenter ipſius cadavera luſtrarunt, meumq; ſpecimen adſpexerunt, videtur eſſe alicujus pretii. Hactenus illud incorruptum permanet, ſed qvia nondum ſpem amiſi ulterioris ſucceſſus, ideò, donec eventus in omnibus reſponderit, tantiſper modum mihi reſervabo. Qvod ſangvinis traducendi modum attinet, hactenus ob graviſſima impedimenta nihil ultra molitus ſum. Fateor favere me traductioni chyli per meſaraicas venas, non Bilſianis argumentis inductus, qvæ nulla ab ipſo prolata ſunt, nec demonſtrationibus ejus permotus, qvibus nunqvam mihi intereſſe licuit, ſed conjecturis haud adeò, ut exiſtimo, levibus adductus qvas propediem videbis in notis meis ad Epitomen Veſalianam.

Addam

Addam Obſervatiunculam, qvam inter rariores numerare poſſis. Ante ſex circiter ſeptimanas acceſſit me Chirurgus, indicans mihi monſtroſum fœtum pridiè natum fuiſſe, eumq; ego videndi cupidus ab eodem ad ædes deductus eſſem, vidi nihil eſſe aliud qvam labium leporinum, & apici naſi adnatam particulam inſtar articuli pollicis, totum qvoq; palatum fiſſum eſſe; qvapropter eum monui, freqventia ejusmodi monſtra apud nos eſſe, imò unum ſanitati meo conſilio & Chirurgorum opera fuiſſe reſtitutum. Sed cum reliqvum corpuſculum detegerem, vidi ingentem tumorem in abdominis regione ſub hypochondrio ſiniſtro: & petii, ut copia inſpiciendi & examinandi per Anatomen mihi fieret, qvod promiſſo nummulo, conſecutus ſum. Adſumpſeram mihi Comitem Clariſs. D. Borrichium, à qvo rogatus, cujusnam partis tumorem illum eſſe crederem, accuſavi Lienem. Ille verò Hepatis hoc vitiū eſſe judicavit. Aperto abdomine cum magna circumſpectione, invenimus Hepar mole ſua naturalem qvantitatem non excedere, ut nec ventriculum, nec Lienem. Cumq; inteſtina tenuia non ſtatim apparerent, credebamus primo intuitu Naturam involucro membranoſo eadem obvolviſſe,

viſſe, & à reliqvis abdominis viſceribus ſeparaſſe: Sed cum eadem reperiremus detruſa verſus os Ilium dextrum in alias incidimus cogitationes. Nam venis magnis per ſuperficiem ſparſis preditus erat tumor, & in ejus parte ſuperiore, aliqvid rubicundi, inſtar placentæ Uterinæ apparebat. Unde, qvanqvam maſculus eſſet fœtus, ſperabamus uterum hic nos inventuros, & in eo fortaſſe fœtum eoq; magis, qvod in fine cerneremus particulam qvalis eſt ala veſpertilionum cum Tuba & teſte, in mulieribus. Sed aperto Tumore, invenimus eum repletum fuiſſe ingenti copia ſeri. Venas examinando, deprehendimus eas è Trunco Cavæ ſtatim ſub hepate, originem trahere; tandemq; deprehendimus Renem dextrum in ejusmodi molem excreviſſe, & Tumorem illum efformaſſe, qvi tamen Ren, & à figura ſua naturali, & à ſubſtantia plurimum diſcrepabat, nam crasſisſimæ membranæ admodum erat ſimilis. Ureter qvoq; dexter, planè erat impervius.

Exhibeo munuſculum, Microcoſmum meum ſecunda cura editum, qvod hilari fronte rogo ſuſcipias, meq; porro Tuum Totum credas & ad officia paratisſimum

Lugduni Bat.

2/12 April. 1662. Jo. van Horne.

EPIST.

implev
& puc
nuper
nerea (
rantem
citer re
luis Syn
compr
veſpern
ſævis co
ſtrictus
ſalute c
toma n
dere vo
Vigoni
rem, u
tra dim
deinde
one. H
Bergis N
nante c

...a hac corporis, ad ſpirationis inſtru-
...reducam, qvid nobis Italia de Pulmo-
...nuper novi dederit, Tibi rerum harum
...ſſimo aperiam. Bononiæ diligenti ſecti-
Animalium deprehendit *Marcellus Mal-*
...Profeſſor ibidem Medicinæ, pulmonum
...ntiam neutiqvam eſſe carnoſam, ſed
...gatum qvid ex leviſſimis & tenuiſſimis
...branis, qvæ extenſæ & ſinuatæ pene infi-
...veſiculas orbiculares & ſinuoſas effor-
..., qvæ talem habeant ſitum & connexio-
..., ut ex trachea in ipſas mox ex una in alte-
...patens ſit aditus, & tandem deſinant in
...nentem membranam, qvæ & ipſa retis
...iam habeat, fibris variis retium inſtar di-
...ta, qvas deprehendit eſſe anaſtomoſes va-
...m pulmonariorum. Hæc ſumma eſt no-
...bſervationis binis Epiſtolis comprehenſa
...*o. Alph. Borellium* Mathematicum Piſanum.
...lterius in rei veritatem inqvire. Ego con-
... viſcera animalium, velut ad extiſpicinam,
...ſertim domeſticorum, qvæ ad manus
...t; non qvod de fide Viri eruditi dubita-
..., ſed ut oculi qvoq; certius crederent. In
...monibus bovinis & ovillis texturam illam
...cularum externâ ſuperficie vidimus, præ-
...m qva parte lobus eſt tenuior, ut tranſpa-
reat

Digitized by Google

reat lumini oppoſitus. Folle deinde adhibito tracheæq; inſerto, veſiculæ manifeſtius in extima membrana elevari viſæ. In ranis vero, qvas etiam *Malpighius* coaxantes audivit, apertè omnia conſpexi, jucundo ſpectaculo, qvibus diſſectis, pulmones utrinq; inflati apparent, cryſtalli inſtar pellucentes, & texturâ eleganti ſpectantium oculos ſatiantes. Diu ſatis, aëre ſuo tument, ſed ſenſim contracti obſcuriores fiunt, niſi iterum in aqvam conjecti vel aëri expoſiti varias veſicularum figuras oſtendant. Univerſi pulmones marſupium referunt, humori aëriq; recipiendo & diu conſervando capax. Has in ranis ac bufonibus veſiculas qvoq; *Harvejus* Exerc. 3. de Gen. Animal. animadvertit, & in avibus non obſcurè obſervavi, præſertim anſeribus anatibusqve, qvibus, etiam ex *Ariſtotele* l. 3. Part. Animal. c. 6. pulmones ſpongioſi magis, & membranæ ſimiles. In his tamen ſingularis eſt à bronchiis ad abdomen membraneus ſinus protenſus, vel veſica, per qvam reſpirant, licet pulmo coſtis adhæreat. Obſervavit id in ſtruthiocamelo, gallo indico, & gallinaceo *Harvejus* l. 6. In teſtudine magna arteriam aſperam ramulos qvosdam ad renes & veſicam usq; produci notavit *Gaſſendus* in Vit. Peireskii, qvi,

qvi, ſi in homine qvoq; ſolertior eum manus demonſtraret, commodam expurgationis puris phthiſicorum per renes viam nobis aperirent. In pulmonibus certè humanis eandem fermè cum *Malpighio* fabricam agnovit *Corn. ab Hogelande* veſter in Oecon. Anim. ad p. 66. conſtare enim affirmat parenchyma tenuiſſimis pelliculis, adeſſeq; parvas qvaſi cavitates, qvæ pori nominari poſſent, prædictis pelliculis diſtinctas vel terminatas. Probabilem obſervationem illuſtrat *Hippocrates* l. de Carnibus, qvi per nebulam tale aliqvid divinaſſe videtur. Uſus verò pulmonum ab eodem *Malpighio* ſignatus, dubius mihi videtur. Ad ſangvineæ molis miſcellam credit conferre. Annon rectius miſcebuntur ſangvis, chylus, lympha in corde, ubi amplior cavitas, qvo chylus & lympha cum ſangvine confluunt? Forſan tamen perfectior fiet hic miſcela propter veſiculas exiles innumeras, ut ita pulmones ſint cordis percolatorium inſtrumentum, vel ubi miſceantur humores, ſicut hepar in abdomine. Fluxibilitatem ſangvini ab albo humore accedere, ut idem ſcribit, non negabo, qvatenus lympham habet admixtam, ſicut id muneris ſero, αἵματ☉ ὀχήματι, aſſignavit *Cous.* Ab aëre in pulmonibus id fieri, tradidit *Jac. Backius,*

I. de Corde, qvia aër primum humidum. Qvicqvid ſit multa phænomena ex obſervatione Malpighiana deduci poſſunt, qvæ tempori reſervabo. Nec enim de his ſpiraculis apud Te prolixior ero, qvem deſiderato ſpiraculo vivo brevi potiturum cum gaudio intellexi. Deus conjugio veſtro benedicat, ut ea felicitate Anatomen vivam amatæ ſponſæ exerceas, qva hactenus in mortuorum ſectionibus orbi inclaruiſti. Vale, amiciſſime Horni, meq; eundem adhuc eſſe crede, qvi ſemper fui, h. e, tui amantiſſimus. Salutat Te Oſtenfeldius noſter, qvi ſibi de tua amicitia gratulatur. Qvod verò prolixè affectum tuum erga me, illo præſente, teſtatus ſis, veteri tuo & conſtanti animo imputo. Hafniæ VIII. Septemb. CIↃ IↃC LXII.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPIST. LXXXIII.

De narrationibus Fabuloſis.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

JAm dudum eſt ex qvo nihil de Te audivi, puto tamen Te vivere & valere, & utinam

in

in multos annos, atq; pancraticè: De amore in te meo non eſt qvod dubites, de tui conſtantia nullus ambigo. Utor valetudine, cum Deo, firma & robuſta ferè ut antehac ſolebam, niſi qvod ratione ætatis ad ſenium vergentis, exacto nimirum anno 60. vires corporis aliqvatenus imminutæ mihi videntur; qvod præſertim factum puto ratione morbi cujusdam, nempe febris biliosæ, qvæ me Octobri menſe detinuit. Vivo igitur & valeo, ſæpe tui memor, & benevolentiæ tuæ. Non admodum multa hic habemus in arte Medica, nova: Si tamen aliqvis mihi occurreret idoneus, poſſem aliqvid mittere ex iis de qvibus hactenus ad Te non ſcripſi; qvod faciam libentiſſimè, ſi mihi aliqvem indicaveris qvi tali officio poſſit tutò defungi. Sex tuas Centurias rariorum Hiſtoriarum hic habeo, mihi Francofurto delatas; in qvarum prima, omnium tuorum Operum indicem conſpexi. Qvæ omnia qvidem habeo, præter 20. qvod eſt de Paralyticis N. T. audio qvoq; Te aliqvid ſcripſiſſe de Nive: & Pharmacopœam qvandam &c. qvæ ſi occurrant, ea mihi redimam: ſin minus, jure qvodam meo, imò & tuo, illa ipſa à Te expectabo. Ab obitu *Jo. Riolani*, ejus loco cathedram Regiam occupavi, magnâ auditorum

rum freqventiâ, qvam à Rege noſtro obtinueram, integro biennio ante ejus exceſſum. In meis illis Prælectionibus, ſæpe ut debui, honorificam nominis tui mentionem habui, & opera tua, præſertim Anatomica laudavi, qvæ freqventer leguntur à meis Auditoribus. Miror indefeſſam Tuam conſtantiam in ſcribendo. Centuriæ tuæ multa habent optima; ſed utinam omiſiſſes Senatus conſultum Gratianopolitanum, qvod legitur Centuria 6. pag. 298. hiſt. 61. Totum enim hoc negotium qvale fuit à Te deſcriptum, Typis mandatum, nihil aliud unqvam fuit, qvam merum figmentum, & mera fabula, à qvodam nebulone excogitata, qvi per fugam ſaluti ſuæ conſulere coactus eſt, ne incideret in manus Parlamenti Gratianopolitani, nè dicam carnificis illius civitatis: qvod tamen factum eſſe dicitur ab iſto nebulone, in irriſionem qvorundam Senatorum, & in contumeliam Doctorum Scholæ Monſpelienſis. De fœtu Muſſipontano, hiſtoria 92. Cent. 6. librum conſcripſit Viri Cl. *D. Horſti* gener, *Laur. Strauſſius*, qvem hic habeo Authoris dono ad me transmiſſum: de qvo tamen ut liberè dicam, qvod ſentio, fabuloſum qvoq; mihi videtur: neqve enim conceptio fit extra uterum: & audio

multos

multos viros eruditos in eadem mecum eſſe ſententia, nec dubito fraudem aliqvam, aut ſaltem mendacium latere in hac fabula. Vale, Vir Cl. & me ama. Si qvis ex Dania veſtra huc veniat, ad nos ſcribere ne dedigneris. Amatiſſimos omnes Fratres tuos ſaluto. Vale, & me ama.

Tuus ex animo

Pariſiis 19. May 1662.

Guido Patin.

EPIST. LXXXIV.

De mirabilibus in partubus humanis.

GUIDONI PATINO Lutetiam.

Nuper miſi faſciculum librorum nonnullorum cum Humaniſſ. Chriſtophoro Nicolai ex comitatu Illuſtriſſimi Legati Annibalis, jamq; ſpero rectè Tibi eſſe traditum. Catalogum cum literis commiſi Dn. Troilo in eodem ſplendido comitatu. Diſpenſatorium noſtrum Hafnienſe ibidem invenies à Te deſideratum. Ipſe ſemper dubitavi de veritate Senatus Conſulti Gratianopolitani, veris tamen Hiſtoriis addidi, ut varietate grata Lectores demererer. Ut Poëtæ, ita & Hiſtorici

prodeſſe volunt & delectare. Muſſipontanus foetus varia judicia expertus eſt. Dici non poteſt, qvam ferax ſit hoc ſeculum monſtrorum. Nuper donata mihi ſunt oſſa foetus multa & magna ſatis, qvæ ex umbilico rupto non ita pridem prodierunt poſt 16. annorum impraegnationem. Vivit adhuc mulier apud nos, & qvotannis has oſſium criſes patitur. Adeò ludit natura circa generationem noſtram. Ad umbilicum autem Matris, qvæ via ex utero? Simile tamen obſervarunt qvoq; *Albucaſis*, *Donatus*, *Gagnatus*, *Langius*. Factum admiramur, vias ignoramus:

Scilicet id fieri cogit natura viarum
Multimodis varians. —— ——

Neqve rerum raritas Hiſtorici fidem imminuit. Et qvanqvam fabula fuerit ingenioſi impoſtoris, etiam hæc ſimiliaq; Hiſtoriis ſuis inſerunt veteres & recentiores. In mei defenſionem id dictum volo, qvi ea fide hæc aliaq; Hiſtoriis Rarioribus inſerui, qva accepi. Nolo enim pro veritate hujus rei vadimonium deſerere. Qvæ vidi, pro veris narrare poſſum, in cæteris Lector ſtabit aliorum, non mea, authoritate. De Muſſipontano foetu qvid ſentiam, ad Celeberrimum *D. Horſtium* perſcripſi. In opere *Strauſſiano* Epiſtola mea legitur.

De

De hiſtoriæ veritate dubitavi. Rationes tamen inveni qvæ rei probabilitatem ſtabilirent, ſi vera eſſet. Fidem narratis conciliet author, qvisqvis ſit. Nam in multis credimus primis autoribus, qvi ſi ex illorum numero ſint qvi, ut *Comicus* loqvitur, ubiq; imponunt in manum nobis pro ceſtu cantharum, decipimur ſanè, qvanqvam Delphis oracula ceſſent. Parum tamen nobis has hiſtorias ſcribentibus prodeſt, vera ſcribamus an fabulas. Cum Satyrico enim qverimur:

Qvis dabit hiſtorico, qvantum daret acta legenti?

Tu ipſe, Magne Patine, hoc ſtudii genus olim vehementer diſſvadebas, qvum Hiſtoriis delectari me videres. Sed aliter hic verſatur Medicus, aliter Polyhiſtor. Vale, amicorum decus, & florentem ſenectam in morborum contemptum diu conſerva, meq; ama. Hafn. 29. Auguſt. cIↄ Iↄc LXII.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPIST. LXXXV.

De foveâ ſepti pellucidi, calculis veſicæ felleæ, vaſis ſalivaribus, hygrophthalmicis, Bilſianâ Anatome inſpecta, & deniq; Philoſophiâ Carteſii.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

TArdius forſan, qvàm par erat, videbuntur ad Te ire meæ literæ, Vir Celeberrime, fautor & amice honoratiſſime, ire tamen citiùs non potuerunt, partim, tuorum in me meritorum gravitate & magnitudine, partim argumenti, ſcriptionisq; perſpicaciſſimo ingenio Tuo convenientis ſterilitate iterum iterumq; abituras ſufflaminantibus; nunc autem, qvando & Bilſiani Zaſſii morſus, & obſervationes qvædam Anatomicæ ad ſcribendum invitant, & deniq; Beneficiorum Tuorum memoria compellit, rumpendum erit ſilentium, & qvid mihi, poſtqvam ab humaniſſimo Tuo vultu digreſſus ſum, contigerit, ſtrictim aperiendum. Qvem ceperim ex commendatitiis Tuis literis fructum apud Dn. Vorſtium, Sylvium, van Horne, Blaſiumq; vel inde colligas licet, qvòd ab omnibus his fuerim humaniſſimè exceptus, atq; officioſiſſimè ad artis eorundem arcana admiſſus; hinc in Diſputationibus publicis

licis locus mihi in Profeſſorum ſubſelliis ſu-
ra omnes,qvi Profeſſorii nominis non erant,
ttributus; neq; aliter ſive in theatro Anato-
iico Noſocomii, ſive altero illo publico con-
git. Dn. Sylvius aſſeverantiſſimè faſſus eſt
ihil unqvam à ſe ſcriptum eſſe, qvod graviùs
: moleſtiùs ferret, qvàm theſin qvartam Di-
utationis ſextæ, natum ſibi præcipitem illum
ilorem ex theſi proxime præcedente, qvâ,
fatetur, in Medicum aliàs eruditiſſimum in-
:hitur, qvi aliqvando in ſectione cadaveris in
oſocomio hepar invenire non potuit, aper-
q; adverſus eos, qvi neceſſitatem hepatis in
rpore tantopere extollerent, declamavit,
d inter declamandum aſtantium qvidam he-
r latitans in ſuis involucris protraxit in lu-
m non ſine rubore qvodam declamotoris.
ı. van Horne in ſectione publicâ tum puellæ,
n latronis validiſſimi crebrò Cl.Bartholinum
partes vocavit, nunqvam ſine præfatione
noris; qvoties autem, id qvod rariùs facti-
um, in diverſam abiit ſententiam, nomini
ıſtri pepercit, ut cùm aſſereret nullas arte-
; vaſa atrabilaria ingredi, inter alas veſper-
onum & ligamenta uteri lata evidens eſſe
:rimen, & neſcio qvæ alia minoris mo-
nti. Secta autem ſunt à Cl. Sylvio qvatuor

cadavera in Noſocomio me præſente, in qvibus curiosè ſemper inqviſitum in penetralia cerebri, oſtenſaq; intra parietes, ſepti lucidi (Dn. Sylvius pellucidi mavult) fovea, in qvâ illuſtris Digbæus animæ ſedem collocat, inventi in veſiculâ felleâ mulierculæ plusqvam nonaginta calculi magnitudine fabarum, anguloſi, ſed figurarum irregularium, tactu molliuſculi, & qvi in aqvâ calidâ pæne toti colliqveſcerent; reperti in glandulâ pineali tres lapilli; obſervata in confinio duodeni & jejuni excoriatio & inflammatio, qvo loco Clar. Sylvius ſedem ponit febrium intermittentium, & variorum præterea affectuum corporis; enimvero credit ex cyſteos felleæ, ductus pancreatici, & acidi inteſtinis adhærentis ſucci confluxu efferveſcentiam ſingularem iſtic loci oriri, qvæ poſtea ructus, ventoſitates, hypochondriacos effectus, hyſtericam paſſionem, febres & alia mala accendat & producat. Oſtenſi etiam bis publicè ductus Stenoniani (ita enim Cl. van Horne in laudem inventoris appellare ſolet) hoc eſt, vaſa duo ſalivaria ſuperiora à Nicolao Stenonio noſtrate heic inventa, qvæ variis ramulis à glandulis parotidibus orta ſub oſſe jugali, rectâ feruntur ad eam buccæ partem, qvæ tertio molari ſuperiori

i reſpondet, ibiq; muſculum buccinato-
perforantia in os ſe ſe cum ſalivâ effun-
t, qvo loco papillula qvædam in ore emi-
utrinq;, per qvam ſi Stylus tenuis immitti-
rectà ad initia parotidum defertur. Inqviri
ſolent illi ductus aperiendo confinia paro-
m & paulatim ad buccam vas inventum
ſeqvendo, mox rictu oris altius inciſo ſty-
ı iſtic intromittendo. Inventi & ab eodem
nonio privatis mecum ſectionibus intento
tus qvidã, à me hygrophthalmici appellati,
a videntur humorem qvendam pellucidum
lis continuò inſtillare, ad præſtandum li-
iorem motum & arefactionem oculorum
›ediendam à natura efformati, ſiti au-
ı ſunt ad canthum oculorum exteriorem,
a orbitam, inq; palpebras ſupernè ſe exo-
ant, reperiuntur, ſi totus oculus cautè cum
ıexis orbitæ eximatur, & ad lucernam tenſa
nibus palpebra cum annexis vaſis accuratè
›iciatur; origo eſt in glandulis qvibusdam
ıutis, nam & ipſi ductus valde minuti ſunt;
ı in ſingulis oculis duo ejusmodi ductus no-
viſi, jam non niſi unus, crediderim natu-
ı per hos ductus id moliri, qvod alioqvin
litores, aurigæ, aliiq; ſolent, qvi jam aqvâ,
ı lento qvodam ungvine rotatorios axes
ſuo

ſuos oblinunt, nè continuo motu vitium trahant, atq; vel nimium incaleſcant, vel aridi motui ſint ineptiores. Jam ad Bilſium. Qvid Bilſii nomine ſcripſerit Zaſſius Medicus Roterodamenſis latere, uti exiſtimo, Tibi, Vir celeberrime, non poteſt, qvòd Nobiliſs. Chariſius, Regis clem. nomine apud Belgas reſidens narraverit mihi, ſe jam tum exemplar mordacis illius Epiſtolæ Hafniam transmiſiſſe Belgice ſcriptum, ego latinum exemplar adjungo à Dn. Bilſio mihi heſterno die Roterodami donatum. Poſtqvam enim cognovi prodiiſſe telam iſtam araneæ, officii mei eſſe credidi magni Bartholini mei nomine à præſente Bilſio exqvirere, num illa omnia, qvæ Zaſſius orbi obtrudit promiſſa in epiſtolâ illâ, approbaret, num Hafniam vocatus forſan adventurus eſſet. Accingor ergo itineri, tribus Studioſis Danis comitatus, perq; amicum qvendam meum, Dn. Angillues Medicum Schiedamenſem ſignifico Dn. Bilſio qvis eſſem, qvid poſtulaturus advenirem; ſeqvor ipſe paulò poſt, admittor, invehor in acerbitatem epiſtolæ cujusdem maledicè ſcriptæ, qva Cl. Bartholinus innoxius utiq; exagitatur; Dn. Bilſius nihil à ſe ſcriptum aſſerere, neq; ſe Zaſſii omnia probare, mirari tamen qvòd ita duriter à Dn. Bartholino, qvem læſiſſet

nunqvam, tractatum ſe à Dn. Zaſſio inter-
te audiret; Ego Bartholini verba, qvæ ex
lgico prælegebat, interpretari, poſtrema
mis jungere, atq; oſtendere benigniùs locu-
m Cl. Bartholinum, qvàm interpres vel for-
n caperet, vel ſuis commentariis doceret,
iſcitor num ſecundum promiſſa Zaſſii Haf-
æ ſe ſiſtere velit, & dexteritatem ſu.m oſten-
ere, non dubitare me qvin Cl. Bartholinus
ontem fronti, ſcalpellum ſcalpello eſſet con-
denter oppoſiturus, negat ille ſe venturum,
Zaſſii iſtas fuiſſe argutias, non ſuas; qvod ſi
amen in Belgium liberet Cl. Bartholino trans-
meare, ſe in oculis ſtatuum Generalium de-
monſtraturum qvantum ſupra & Bartholinum
& cæteros Anatomicos Leidenſes, aliosq; emi-
neret. Interrogo tentaturus fidem hominis,
numne Hamburgi, medio ſc. itinere libeat
Bartholinum exſpectare dexteritatis ſuæ ſpeci-
men editurum; negat, & in Belgium provo-
cat; offero ipſi in Belgio Anatomicos Leiden-
ſes, dubiè loqvitur, tandem illos qvoq; provo-
cat, & Deuſingium Medicum Gróningenſem
appellat, (qvem tamen negat Cl. Sylvius cada-
ver humanum ſuo Marte unqvam aperuiſſe, a-
deoq; eum laudare ait id in Bilſio qvod ipſe nec
novit, nec didicit adhuc ipſe; qvin imò narravit
mihi

mihi nuper Gróningenſis Medicinæ candidatus Dn. Eyſſonium Medicum itidem Gróningenſem accuratè nuper demonſtraſſe ex principiis Mathematicis, ipſo Deuſingio audiente & ringente facile poſſe totum chylum per ductum thoracicum ferri, & ſufficiens toti corpori nutrimentum ex unico illo vaſe hauriri.) Inſto vehementius, uti vel ceſſet orbi tam grandia promittere, vel re ipſa fidem ſuam liberet; poſtulat 150000 floren: obduco non futuros, qvi tanti mercentur incertam ſpem; reponit morituram ergo artem ſecum. Excipio, parum conſulturum hoc ipſo famæ ſuæ & gloriæ; regerit ſatis ſibi gloriæ eſſe, ſatis famæ, pecuniis opus eſſe; qvòd ſi Rex Daniæ ſe liberali munere ad ſe ſe accerſere non gravetur, & unà ſecuritatem ab inimicis polliceatur, non reluctaturum ſe forſan, qvo minus accedat. Verum enimvero ſi vel maxime illuc evocaretur, nihil tamen oſtenderet aliud, qvàm qvod hic oſtendit hactenus, niſi tot millibus florenorum inauraretur. Agitata inter nos varia, jam excanduit vehementiùs, jam mitior agno honorem, ſupra qvàm ſperaveram, magnum exhibuit, & prolixè officia ſua obtulit; oſtendit, explicuitq; mihi mumias ſuas, figuras Anatomicorum cum ſuis contulit, improbavit, totiusq; pæne

Ana-

Anatomiæ reformationem ex principiis ſuis pendere, confidenter aſſeveravit. Secuit & in honorem meum, vivum canem, qvod ne centeſimo cuiq; petitori, hactenus contigit, & ſecuit, fateor, unico ſcalpelli ictu totum pæne canem ab ingvine ſiniſtro ad usq; claviculas, momentoq; lacteum thoracicum ejusq; ciſternam oſtendit, truncoq; lacteo aperto aqvam claram ſed viſcidam cochleari excepit, nobisq; expendendam obtulit; itidem lacteum ramum hepar ingredi docuit oſtenſa hepatis ſimâ, ſed, ingenue fateor, viſus eſt mihi ille ramus, ut ſemper antea, ita tunc qvoq; lymphaticus, licet aliqvid ſubcineritii coloris contineret, de qvo experimenta plura videntur adhuc reqvirenda. Verum enimvero illa ſectio adeo non fuit ſine ſangvine effuſo inſtituta, ut plus librâ unâ effluxerit, qvòd celeri illo ictu primo, hepatis aliqvam partem læſiſſet, id qvod ſibi aliàs contingere ſolere, negabat. Pollicebatur ſe primâ occaſione in mei gratiam canem alium aperturum, omniaq; evidentiùs monſtraturum eſſe, promiſſo num reſponſurus ſit eventus, brevi edocebor. Tandem poſt velitationem trihorii, abeuntem me officiosè dimiſit, & ad cymbam usq; vectoriam, licet reluctantem humanitatis ſpecie comitatus non ante

ſolu-

ſolutam à nobis oram ad ſuos fecit vorſoriam. Qvod ſi igitur digna videbitur dentata epiſtola (ſimillimam audio adverſus Anatomicos Leidenſes ante biduum prodiiſſe) cui vel Cl. Bartholinus ipſe, vel diſcipulorum aliqvis ſimili aceto occurrat, nocentior videtur Zaſſius digniorq; carbone atro, qvàm Bilſius ut qvi intra domeſticos tantùm parietes, inſtigantibus, ut apparet, aliis, deſpumat, & tandem qvieſcit. Decretum eſt Bilſio ante æſtatem Excluſam Flandrorum rurſus ſecedere, ibiq; ſecum arcana ſua ſilentio irrevocabili ſepelire, niſi propoſitâ ſummâ, qvod vix veriſimile, intra dictum tempus redimantur. Mitto hiſtoriam affectus Principis Regiæ Mariæ Auriacæ, qvam in chartas retulerunt Londinenſes Medici, cùm ipſorum culpâ obiiſſe exiſtimaretur, in qvâ id rarum, poſſe hominem, corde pæne conſumpto adhuc in vivis eſſe. Hiſtoriam fœtus in abdomine reperti, centurias Anatomicas ultimas, commentarium de Nive, de qvibus ſpem hic feci clariſſimis Medicis, omnes cupidiſſime exſpectant. Carteſius apud Belgas noſtros caput valde attollere incipit, & Philoſophiam cæterorum premere, licet jam fulmen ipſi deſtinatum videatur non leve, qvòd ſub prælo gemere narretur Antoniana Margarita Gomezii

Pereira

PereiraHiſpani qvæante centum annos primùm impreſſa traditur, atq; Carteſius inde hauſiſſe qvicqvid de brutis, brutorumq; animâ commentatus eſt. Retulit & mihi Sylvæducenſis Philoſophus Dn. Scylius apud ſe eſſe librum Gallicum 90. annorum, unde Carteſius, qvæcunq; de animâ humanâ tradidit, hauſerit pæne univerſa. Qvæ addam porro hac vice non occurrunt, niſi qvòd nihil magis deſiderem, qvàm qvoqvo modo memorem beneficiorum tuorum animum, Vir celeberrime, declarare, atq; qvanti virtutes Tuas æſtimem opere ipſo aliqvando teſtari, interea me totum Tibi, & per Te, toti honoratiſſimo Profeſſorum ordini intimè & officiociſſime commendo. Vale feliciſſime, Leidæ d. 3. Martii Anni 1661.

Celeberrimo nomini Tuo

addictiſs.

Olaus Borrichius, m m.

EPIST. LXXXVI.

De ſede animæ. Calculi veſicæ felleæ. ſedes febrium.

OLAO BORRICHIO Leidam.

GRatiſſimæ mihi fuerunt literæ Tuæ, inſigni officio & obſervationibus variis refertæ,

qvæ tanto mihi gratiores fuerunt, qvod à tanto amico venirent. Gaudeo peregrinationis initia proſpere Tibi & ex voto ſuccedere, optoq; ſummis conatibus perpetuitatem. Magno beneficio me Tibi devinxiſti, qvod *Bilſii* memineris. Nolui illius inimicitias, & malè ſit *Zasſio* qvi boni fidelisq; interpretis munere defuit. Reſpondi provocatus qvam potui citiſſimè, eaq; temperantia qvam res exigebat. Non video in tua relatione, oſtenſum ſeu chyli ſeu lymphæ curſum in thoracico, & lacteo vaſe putaticio prope hepar, ut inde de controverſo argumento judicandi daretur occaſio. Qværſo verbo indica, an ſubolfacere poſſis, qvibus modis corpora Bilſius à putredine conſervet, an ſine ligaturis cruorem ſiſtat, & alia qvæ apud illum obſervare potuiſti. Ductus novi Salivales à Te & *Stenonio* noſtro obſervati omnem laudem merentur. Ita partitur ſua tempora nobis Natura, nec ſacra ſua ſimul tradit, ex qvibus aliud hæc ætas, aliud qvæ poſt nos ſubibit, aſpiciet. Ego his ſtudiis valedixi, qvia valetudo laborioſis Academiæ curis vacare non permittit, unde conceſſo à Reg. Maj. ocio uti oportet. Juniorum labores in his commodius occupantur, qvibus eapropter hanc lampada tradidi. Magni *Sylvii* antiqvam fidem

fidem & virtutem exoſculor. Theſis qvanqvam inimica videatur, nunqvam tamen ab inimico animo profecta eſt, ſi rectè conſtantiam Sylvii novi. Diligentiam ejus & in ſecando dexteritatem, qvam in Noſocomio exercet, in lucro veſtro reponite. Ita olim & nobis fideli manu ibidem præivit, qvanqvam nullo profeſſorio munere obſtringeretur. *Digbæi* illuſtris animæ ſedes in fragili nimium domicilio hoſpitatur. Si nervorum commercium circa ſeptum iſtud demonſtrari poſſet, majori ſpecie veri ingenioſa ſententia compareret. Credo tamdiu nobis latere animæ domicilium appropriatum, qvamdiu ipſa latet, humano intellectui necdum ſatis perſpecta. Conarium *Carteſii* ſubtilis, ſuos qvoq; patitur manes, ſi qvidem & arenulas & calculos admittit in exili corpuſculo. Mente tamen capti vel fatui non memorantur ſemper iſti, qvorum vel ſeptum lucidum vel conarium in vitio latuit. Oſſicula qvatuor in capite cujusdam reperta apud *Botallum* Obſ. 2. huc ſpectant, qvæ animam nihil offendiſſe dicuntur. Nicotianæ ſuffitu totam cerebri ſubſtantiam adeò exſiccatam reperit *Thonerus* l. 6. Epiſt. 15. ut vix nucis magnitudinem æqvaret. Ubi & ſeptum lucidum & conarium contabuiſſe certum eſt.

Ille tamen Medicus Electoralis, cujus Anatomen dedit *Thonerus* ſat diu ratione ſalva & ſenſibus integris ſuperſtes fuit. Contingit nonnunqvam ut ſubſideant parietesq; jungantur ventriculorum cerebri, adeoq; ſeptum cum ſua fovea comprimatur. Magno id qvidem non animæ rationalis, ſed ſenſibus exterioris fit detrimento. Cujus exemplum habet *Greg. Horſtius* l.4. Obſ. part.6. in femina guttâ ſerenâ per XX annos laborante. Contra evenit ſubinde ut animæ noſtræ interpretes ſenſus torpeant ventriculis cerebri tribus cum ſepto ſuo nulla parte confuſis, ſicut teſtatur *Hildanus* Cent. 1. Obſ. 10. Igitur alia organa incuſanda, qvæ uno verbo abſolvere non poſſum. Facilius enim dixero qvæ pars non ſit, qvam qvæ ſit. Exempla tamen me docent membranis cerebri inflammatis, vel ſpinali medulla ſphacellata, delirium ortum. Calculi innumeri in veſicula mulieris fellea facilè frangi in liqvore calido potuerunt, qvia pleriq; calculi hujus veſiculæ lèves ſunt, nec facilè merguntur in aqva, qvippe à bile aſſata vel exſiccata plerumq; originem ducunt, à cauſa calida. Hinc narrant in hiſtoria Chriſtiani Secundi Regis Daniæ *Huitfeldius* & *Suaningius* in cadavere ejusdem à *Cornelio Hamsfort* Archiatro inventos

ventos multos in veſicula fellis lapillos parvos, rubros, qvia Vinis generoſis, inprimis Malvatico, freqventius circa vitæ finem utebatur in carcere Regio. In ſede febrium facio cum *Sylvio*, eſſe inteſtina tenuia. Id ſenſus docet. Exempla obvia ſunt. Unum communicabo ex ſchedis Paternis. Mulier Germana Patavii, robuſta & corpulenta, nonnihil pingvis, ſexagenaria, nil excrevit per alvum ſpatio 9 dierum, nec cliſterem admittere voluit. Incidit in febrem malignam cum vomitu biblioſo, moritur poſt biduum: Aperto cadavere, pulmones ferè putridi, Epar parum ſcirrhoſum & inflammatum, Ventriculi tunica interior inflammata, inteſtinum ileum in medio gangrænoſum & putridum (ut ruptum ſit inopinato ex contactu) tota pars ſupra gangrænam ilei inflammata intus in tunica interiore, ut ſupra modum venæ meſaraicæ magnæ & turgidæ fuerint; pars ilei inferior tota coaluit, ut nil pertranſire potuerit. A qvo ſucco iſta inflammatio ſit, ſenſu dijudicare non poſſumus, niſi facem experientia ſua præferat Magnus *Sylvius*. Hiſce diebus ad beatos abiit Cl. Collega noſter *Spormannus*, & ſeqventibus locum ceſſit. Te Deus in itinere ducat & reducat, tantumq; civem in patriæ gloriam conſervet. Vale, Vir

Clariſſime, & doctiſſimis tuis literis ſæpe ocium meum interpella. Saluto Viros ſummos *Verſtium*, *Sylvium*, *Hornium*, *&c.* Vale, Hafniæ IX. Mart. cIↃ IↃ c LXI.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPIST. LXXXVII.

De Bilſianis promiſſis, motu humorum in lymphaticis, materiâ liqvoris lymphatici.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

EX qvo, celeberrime Vir, poſtremas dedi, de Bilſianâ factione nihil admodum mihi auditum, nec tentatum adeo, qvòd à Doctore qvodam Medico ipſius intimo rogatus ſim, iterata ejus ſecandi ſpecimina uti non depoſcerem, ne ultima ipſi molimina (verba ejus planè hæc erant) viderer velle exprimere; id qvod tantò promptiùs factum, qvòd certius mihi eſt, futurum, ut liberalibus ſuis promiſſis re ipsâ reſpondeat nunqvam. Si qvid auguror, ſpes tot millium florenorum, qvam hactenus concepit, brevi evaneſcet, namq; relatu Clar. Sylvij, & Dn. de Raei cognovi vivere hic Medicum qvendam Hubertum, locuple-

eupletem, ſagacem, qvi privatâ cum paucis familiaribus induſtriâ jam tum plura ſecretorum illorum invenit, qvæ Bilſius tantopere jactat, ſed nec dum Dn. Sylvio aut Raeio ſacra illa Cereris patefacta, qvòd, ut ajunt, ex initiatis non ſint, neq; tamen fieri poteſt, ut ſi qvid ſit illud εὕρηκα, diu celetur, qvòd plures, huc oculos, manusq; convertant. Cl. van Horne, cùm ei proximè nuper aſſiderem in Doctorali, qvod appellant, convivio confeſſus mihi eſt, ſe magnis paſſibus ad mumias Bilſianas imitandas domeſtico labore contendere, & parum abeſſe à ſperato ſucceſſu. Ipſe ego cum Stenonio noſtro in cane valido, qvem virus exſtinxerat, nuper obſervavi tres qvatuorve divaricationes ductus thoracici non procul ab ingreſſu in axillares, qvo loco Bilſius ſuum illum Wrong/ ſive labyrinthum collocat, ſed perſeqvi omnia ob ſuſpicionem veneni non libebat; diem docebit dies, & ſine Bilſio, niſi fallor, patebit tandem hoc Ilium. Ferri autem lymphatica à trunco ad artus, qvod tantopere urget Bilſius, vix unqvam demonſtraverit, ita apertè reclamat omnis experientia; etiam evidentiſſimè nuper in decollato, ſed nondum frigido homicidâ conſpeximus à manibus pedibusq; ad truncum cryſtal-

lium illum humorem properare, nec unqvam effecerit Bilſius ut à ligaturis, qvod aſſeverat decipiamur; neq; potuit, cùm ipſi adeſſem antliæ, qvam adduxit, exemplo diverſum perſvadere. Audio Dn. Blaſium inventum ductu illius ſalivaris ſuperioris ſibi tribuere, ſed, Stenonio noſtro, modeſto utiq;, & qvid ambitio ſit, hactenus ignaro fides, invitis Muſis namq; hic aſſeverantiſſimè contendit ſe in ædibus Dn. Blaſii reperiſſe; repertum Dn. Blaſio in ſuum Muſeum evocato oſtendiſſe, dubioq; qvodnam eſſet vaſis genus, ſtilum in os ingredientem monſtrâſſe, id qvod etiam publicè, ſi res poſtulat, contra Dn. Blaſium defenſurum ſe ſe non obſcurè ſignificat, non qvod ullam inde laudem aucupetur, ſed ne Dn. Sylvio, & Dn. van Horne publicè ductum hunc Stenonianum appellantibus videatur fuiſſe mendacii cauſa. Ego litem hanc non facio meam. Adfuit is ipſe Stenonius cum Walgeſtenio, & qvi has literas affert, Dn. Qværneſio, mihi cum Bilſio de Bartholiniano ſcripto contendenti, qvos propterea omnes teſtes dictorum, factorumq; meorum voco, eorumq; lingvâ, qvàm fuerim nominis Bartholiniani pro virili ſerius vindex, potius qvàm meâ cupio audiri. Qvam nuper de lymphaticis Diſputationem concin-

navit

narit Cl. Sylvius unà mitto, opponendi partes à me poſtulavit, obtinuit; certatum eſt amicè freqventiſſimo conventu, cui & Princeps Holſatiæ interfuit; urgebam inter alia liqvorem lymphaticum à ſpiritibus animalibus & ſpiritu acido qvod ille vult, non conflari, qvod hi in gelatinam (uti ſolet lymphæ liqvor) neqveant ſolidari; deniq; monebam plures eſſe ductus & ramos lymphæ in hepate, qvàm ut poſſint à tantillo nervulo hepatico ſpiritus animalis vectore impleri, inveniri tamen plenos, nullas eſſe ibi glandulas; non eſſe naturæ morem partes mandantes ita exiles formare, niſi unà numeroſiores, ut reſpondeant partibus excipientibus, id qvod ibi non poſſit oſtendi, & qvæ fuere alia plura allata de muſculis, ex qvorum accuratâ inſpectione & uſu talis ſpirituum anamalium circulatio, neqveat facile demonſtrari; id unum amico colloqvio effectum eſt ut adhuc dubii diſcederemus. Siſto, id unum obnixè precatus, uti omnia, Vir celeberrime, qvæ hîc in Tui gratiam fieri poſſunr, humanitatis officia à me porrò & poſtules, & exſpectes. Vale cum toto electiſſimo Dn. Profeſſorum conſeſſu, & amare perge

Excell. Tuæ ſtudioſiſſimum

Leidæ 20. Martii A. 1661.

Olaum Borrichium.

EPIST. LXXXVIII.

Bilſius impugnatur. Lympha an ex Animalibus Spiritibus oriatur?

OLAO BORRICHIO. Leidam.

DE Bilſio ejusq; factione magnifica fama decreſcit apud nos indies, & vileſcit, qvod ſciamus non eſſe tam magnum illum Profectorem qvam rumore jactetur. Nos cæteri peponum capita illi credimur; qvaſi nemo ante hunc exta conſuluerit. Nimium certè ſibi arrogavit, juvenilis judicii imbecillitate. Qvicqvid longa ſerie, multis laboribus, multa Dei indulgentia, in publicam hactenus lucem protraximus, qvi ætatis privilegio prodire conſvevimus, id uno flatu ille diſſipare vellet, ſi tam in poteſtate illius eſſet facere qvam gloriari. Omnibus artibus, etiam curioſis, nunqvam efficiet, ut credam contra oculorum fidem, motum lymphæ à centro ad circumferentiam. Si oculos effaſcinaverit præſtigiis ſuis, magnus mihi erit Apollo. Sed ludicra nos non curamus, ſerioribus intenti. Valvularum ſitum in lymphaticis, qvomodo invertet, ut ima ſummis miſceat? Qvâ deniq; fraude ligaturas noſtras diſſolvet, qvas velut Gordium nodum ipſi audacter opponimus. Cl. *Sylvii* de Lymphaticis Vaſis ſtudium majori ap-

plauſu excipiendum. Lympham à ſpiritibus animalibus condenſatis qvoq; derivavit *Segerus* noſter in Diſſertatione de *Lympha Bartholiniana* pridem hic edita, ſed contemptu à multis eo nomine præter meritum exceptus.

Non tam abſurda tamen eſt iſta ſententia amici noſtri, qvam prima fronte apparet. Qvippe tenuior ſangvinis pars, qvam pro ſpiritu Animali habemus, in aqvam denſari poſſe appulſu membranarum, tam verum eſſe poteſt, qvam in alembico elatos ſpiritus in aqvam reſolvi, & vel in muſæo in feneſtris halitus calidos in guttas condenſari. Et lacrymas eo modo generari plurimis placuit. In frigore experimur largius ſerum per nares ſtillare. *Sylvii* autem hypotheſin eſſe video, ſpirituum animalium, qvi copioſius per nervos ad partes ſingulas continui deferuntur qvam ut ſemper in ipſarum functiones conſumantur omnes, reliqvias ſuperſtites per Vaſa lymphatica referri & lympham primariò conſtituere. Magna certè lymphæ dignitas hinc elucet, qvod ab illuſtri origine natales ſuos repetat. Non video autem qvo modo hanc ſplendidam ſuppoſitionem ex diuturniore lymphæ motu probet magnus *Sylvius*, qvod aliqvot etiam poſt mortem horis ligata intumeſcant Vaſa

lym-

lymphatica. Neq; enim animalis ſpiritus tam diuturnum motum habet, nam is cum vita deſinit, nec vero ſimile eſt plus vigoris in effectu eſſe & creatura, qvam fuit in cauſa & creatore. Fluiditati igitur id omne attribuendum lymphæ, non animali ſpiritui, nec organis ejusdem muſculisq; qvi cum illo qvieſcunt. Acidus verò ſpiritus, qvem lymphæ ſuperraddit neſcio an ad ſtatum ejus naturalem extendi debeat. Non tamen dubito qvin theſin ſuam tueri poſſit Vir ingenio præſtans & experientia, qvam tot annorum labore collegit & pro publico meditatus eſt.

Ex alia *Sylvii* Diſputatione, pro qva pariter gratias ago, didici qvod hactenus ſubolſeci nunqvam, nempe in folliculo fellis vaſa lymphatica ante annos viginti ab ipſo eſſe animadverſa, ſed non plenè perſpecta. Si ejus indicium nobis feciſſet Vir laudatus, multis extiſpiciis ſuperſedere potuiſſemus, nec palmam hujus inventi illi præripuiſſemus qvi ad magna & utilia invenienda natus eſt.

Forſan pro vaſe felleo habuit illud phænomenon. Qvidqvid ſit, inter candidatos hujus inventi libenter numerabo, ſi id ex uſu illi aliqvo eſſe poſſit, cui plura officia debere velim.

Rectè

Rectè *Seneca* l. 7. de Benef. c. 1. nullius rei difficilem inventionem eſſe niſi cujus hic unus inventæ fructus eſt, inveniſſe.

Communi igitur potius opera de fructu inventi noſtri cogitationes ſuſcipiamus. Factum id alibi à me niſi fallor, noviſti: Uſus verò *Sylvio* ſignati explodi non debent, ſi qvidem vera eſt generatio lymphæ ex ſpiritu animali, & ejusdem ab acido ſpiritu infectio. Ex mea ſuppoſitione languenti torpidoq; ſangvini à lympha qvoq; fluida & vegeta alacrior ad motum accedit facilitas. Cæterum vos porrò, qvibus adhuc conceſſum in immenſum mentem vegetam extendere, huic aliisq; præclaris inventis addite qvæ deſiderari videntur. Mihi enim ex aſſiduitate laborum horum nata eſt animi qvædam hebetatio & languor, ne de corpuſculo enervato dicam. Unde ne qvid novæ curæ naſceretur, præteritæ vitæ laſſitudinem conceſſo à Sereniſſima Majeſtate Regia ocio ponere conſtitui, & magnorum Virorum exemplo ferias laborum mihi dabo. Nunqvam tamen non Tibi aliisq; amicis vacabo, qvibus nullo non die mea ocia dividam. Vale, mi *Borrichi*, & me porrò, more tuo, ama. Salutant Te Collegæ & Amici. Hafn. XXIX. Mart. cIↄ Iↄc LXI.

T. T.

Th. Bartholinus,

EPIST. LXXXIX.

De motu humoris lymphatici, modo ſine ſangvine ſecandi, mumiis, ſale mirabili Glauberi, Burrhi ſolertia.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam

QVòd jam diu meritis qvæſitum honoratum otium, ex arbitrio ſacræ Majeſtatis Regiæ, tandem admiſeris, Tibi ex animo gratulor, & toti literatorum generi novam auguror felicitatem, ut qvi confidentiſſimè mihi pollicear ſanctum illud otium nunqvam futurum ſine negotio, Diumq; illum Bartholini ſpiritum nunqvam magis qvietum, qvàm cum pro aſſerendâ literarum gloriâ eſt maximè inqvies. Qvæ de Bilſianis ſacris ulterius ſcripſi & deferenda Qverneſio dedi, ſpero jam tum in manus Tuas incidiſſe; curſum liqvoris in thoracico illo, & hepatico ductu, qvod in gratisſimis literis mones, examinare non permiſit Bilſii celeritas, poſtqvam enim propero ſcalpelli ductu ab ingvine ad claviculas, momento canem diviſiſſet, manu ſtatim ſiniſtra remotis inteſtinis receptaculũ chyli oſtendit, ductumq; thoracicum proſecutus, eundem paulo ante ingreſſum in clavicularum ramos cultello aperuit, preſſuq; receptaculi, lympham verſus ſuperi-

periora promovens ſuppoſitum hiatui cochlear ad qvartas liqvore ſubaqveo & ſubcruento implevit, nobisq; expendendum obtulit, ſimulq; verſis ad ſiniſtra inteſtinis hepaticum, qvem dixi, ramum oſtendit, poſcentibusq; liqvoris in eo curſum preſſu aut ligaturâ experiri, reſpondit, ſangvine, ob attactum hepatis lobum improvido cultro, ubiq; ſtagnante ſe impediri, occaſione proximâ evidentiùs monſtraturum omnia; ligaturas nihil ad rem facere, iis verum liqvorum curſum non demonſtrari, ſed turbari, id qvod exemplo antliæ conficere inſtituit, nobisq; varia in contrarium oggerentibus ſolam authoritatem ſuam oppoſuit, identidem inculcans ex ſuis fundamentis Anatomen inde à primis lineis eſſe reformandam; poſſe ſe ad oculum oſtendere inopinatum omnibus chyli decurſum, ſangvinis vias, & cætera qvæ natura in ſecreto hactenus collocavit. Qvæ qvamvis nimia, & novum Pyrgopolynicem ſpirantia, non tamen omnia eſſe de nihilo pæne inducor ut credam, nam ſi præteriero etiam qvæ ſuperioribus attigi literis, certè Antonius Everardus in nuperrimo de hominis & bruti exortu ſcripto (qvod proxima occaſione transmittam) totus in caſtra Bilſii ſecedit, creditq; ſemen, lac, fœtum, colliqvamen-

mentum, non ſangvini debere primordia, ſed tantùm chylo per ductus lymphaticos, qvos ille chyliferos appellat, per totum corpus ſe ſe diſſeminanti; idq; eo potiſſimum argumento, qvod in cuniculis junioribus lacte tantum materno nutritis, & horâ unâ atq; alterâ à paſtu diſſectis obſervet manifeſtè (niſi vir bonus ſe ipſum experimunto fallaci deceperit) lac illud in omnes omnino corporis partes, præcipuè tamen glandulosas per ductus chyliferos diſtribui, & adventu ſuo vaſorum ſangvineorum colorem pæne obnubilare; à qvâ obſervatione non alienus qvoq; eſt Harveus cum l. de gen. animal. Exercit. 56. in omni fœtu humano vegeto & ſano paſſim lac tradat reperiri, maxime in thymo; (ubi pæne ſuum labyrinthum ſive Wrcnq videtur collocare Bilſius) unum hactenus à pleno aſſenſu me abſtrahit, qvòd videam ſtatâ lege naturæ lymphaticos ductus (qvos & illi chyliferos nominant) ab artubus ad truncum contendere, nunqvam contra; dies, ut ſpero, docebit diem, & ſi qvid improviſum coqvat Eleuſine, brevi manifeſtabit; præſertim ſi Cl. Bartholino viſum fuerit iſtuc tantillum deſcendere. Artificium Bilſii, ſine ſangvine ſecandi, qvantum hactenus licuit colligere, in eo conſiſtit, qvòd in qvamcunq;

cor-

corporis partem libuerit, triplum ſangvinis, aut plus triplo, qvàm ordinariâ lege capiunt vaſa, premendo impellat, atq; ligaturis, ne regurgitatio fiat, viam recurrenti intercipiat; diſtentis ita ſupra modum vaſis videtur partim digitis, partim cultris oſſeis ſecundum ductum vaſorum muſculos lentè & cautè dividere. ita ut nullum vas ſangvineum lædatur; ut autem mumiam conficiat, ſi bene obſervavi, in capaci aheno corpus jam artificioſè ſectum decoqvit,& qvicqvid aqveum, qvicqvid oleoſum eſt nimis, deſpumando & evaporando aufert, reliqvum piſſaſphalto, aliisq; putredini adverſis incoqvit. Hæc videbar mihi partim ex ipſius ore, partim ex propriori inſpectione cadaverum colligere. Qvicqvid ſit, cum Glaubero illi hactenus nihil commune fuit, præter illos verborum fumos, qvibus ad immortalitatem uterq; contendit; neq; verò Glauberi ille ſal mirabilis ſupra communem ſalium purgatorum ſortem multùm videtur eminere, qvantumcunq; etiam ultimis ſcriptis ampulletur. Embryonem tamen humanum in eo ſed aqvâ diſſoluto conſervat Cl. Sylvius, & glandulas aliqvot eodem modo in cartilaginis æmulam ſubſtantiam convertit, hic Gotwaldus Dantiſcanus, juvenis ingenioſiſſimus ſed Speraverim

hæc ab aliis itidem ſalibus, item legitimo ſpiritu vini alkoholiſato, aut æqve promptè, aut forſan felicius poſſe præſtari; ut taceam ſubjecta beneficio ſalis mirabilis à putredine vindicanda liqvori huic ſalſo innatare debere, id qvod Bilſianis mumiis non contingit, in qvibus nihil ſalinum, omnia moleſte balſami odore plena. Convenientiſſimum Zaſſianis argutiis reſponſum tuum, prælo etiam Amſtelredamenſi recuſum legimus hîc omnes, nec parum admiramur citiſſimum ſimul & nervoſiſſimum calamum. Arbitror famâ jam ſatis Dn. Burrhum Italum apud vos innotuiſſe, is jam Amſtelredami vivit, & more gentis grandia minatur, Glauberumq; & cæteros minorum gentium Deos ſuâ præſentiâ peſſumdat, offuſcat; vir generoſi ſpiritus, divinæ memoriæ, exercitatiſſimi in Chemicorum arcanis (qvicqvid etiam diſſimulet) ingenii; Hippocrátem in Conſultationibus Medicis freqventiſſimè citat, Galenicis etiam remediis ægros ſuos (qvos per vicarium plerumq; & gratis ſanat) ſolatur, nec Chemicis niſi rarò, & cum in ſtuporem, ceu perhibent, dare lubet aſtantes. Duos præſertim Amſtelredami reſtituit ſibi, contra opinionem omnium, alteram deſperatâ aliqvot annorum hemicraniâ laborantem, podagricum alte-

alterum, qvo nomine Dn. Piſo, practicorum ibi ſummus, multum ipſi hactenus tribuit. Alioqvin &inimicos invenit Medicorũ plurimos; in doſi medicamentorum definiendâ, in criſi Medicâ, in emplaſtris ad certam magnitudinem accuratè fingendis narratur excellere; nec v. id omittendum, omnia ipſius emplaſtra ex volatili materiâ conſtare, adeo ut ungventum pridie illitum, poſtridie vix appareat usqvam; damnatq; Medicos, qvòd craſſa illa corpora in emplaſtri formas compingant, qvæ pororum anguſtias in ægris neqveant ſubire. Plura de eo, aliisq;, qvando plura & certiora dies docuerit. Interea, Celeberrime Vir, Vale feliciſſimè, & ſalutatis meo nomine qvam officioſiſſime Cl. Dn. Profeſſoribus porro, ut hactenus, fave.

Clariſſimi Nominis Tui ſtudioſiſſimo cultori

Lugd. Bat. ad diem 31. Mart. A. 1661.

Olao Borrichio mm.

EPIST. XC.

Exanthemata in pulmonibus febricitantium. De variolis Islandicis.

OLAO BORRICHIO Leidam.

REctè *Qvernæſius* concredita tradidit. Reſponſum meum niſi acceperis, apud tabellarium deliteſcet. *Bilſii* cothurnos non moror. Irritos niſi fallor conatus ejus vel interpretum reddidi in Reſponſione ad *Zasſium*. Si porrò velit dominari tumidus, ſpiritusq; altos gerere, audiat fulmen Megaræ in *Hercule Furente*:

Seqvitur ſuperbos ultor à tergo Deus.

Erit qvi ſale multo hominem inſulſum defricet, ſi qvidem ſale mirabili Glauberiano, qvod ſuſpicatus ſum, careat. Curſum chyli lymphæq; invertere nec *Bilſius* poterit, nec *Everhardus*, nec alii qvicunq;, ſi vel totidem inſurgerent qvot Thebarum portæ divitisq; Nili oſtia. *Everhardi*, hactenus mihi ignoti, experientias ad examen vocabo, qvando ad manus meas tuo beneficio pervenerit. Non inducor ut credam ipſam ſibi contrariari Naturam, nosq; cum larvis committere. Non fallit illa ſed homines, non rarò fallentes, vel qvia ſibi blandiuntur vel amicis. Libentius nuper obſervationes legi in cadavere Mariæ Auriacæ, vario-

variolis defunctæ, qvas ad me mittere voluiſti. Etiam interna viſcera exanthematis fœdari, non ſemel vidimus. Plerumq; in pulmones ſeſe exonerans infectus febris acutæ ſangvis, putredinis in illis labem imprimit. In cadavere aperto Principis Auriaci *Wilhelmi*, Mariæ nuper defunctæ mariti, qvem variolæ qvoq; Hagæ Comitis 1650 jugularant, ſi credimus libro Belgico, qvi *De Herſtelde Lew* inſcribitur, totus pulmo valdè niger, inflatus, inflammatus, ſangvine nigro circumſeptus dicitur. De piſcatore refert *Henr. ab Heer* Obſ. Spad. 12. pulmonis lobum dextrum pure habuiſſe refertiſſimum, in ſiniſtro qvindecim abſceſſus. Similes abſceſſus materiæ fœtentis in morbis acutis in ſtatu Urbini 1601. graſſantibus obſervavit *Lælius* à *Fonte* Conſult. 3. De ſideratis pulmonibus in virgine febricitante cum punctis albis pure repletis, videndus *Henr. Rufus* Obſ. 3. ad Riverium. In lipyria qvoq; febre maculas nigerrimas per totam pulmonum ſubſtantiam inſtar pellis Pardi variegatam annotavit *Panarolus*, Obſ. 14. Pent. 2. Cauſam invenio nullam, niſi qvod per circulum has partes univerſus penè ſangvis tranſeat, moramq; trahat in viſcere maligno æſtu fatiſcente. Qvia de variolis ſermo incidit, narratum mihi nuper fuit à Studioſis

Islandicis apud nos commorantibus, in Islandia qvovis anno vigeſimo recurrente tantum eas graſſari, & tantam eſſe ejus periodi vim, ut qvi liber à variolis fuerit eo anno qvo epidemiæ ſunt, ſuperſtes eſſe non poſſit ad recurrentem terminum. Vel ſingulare hoc erit exanthematum genus, cœlo Islandico proprium, vel in gentis hujus occultâ natura aliqvid latet, qvod per variolas inqvilinas expurgari debet. Sed qvantum eſt qvod in medica arte ignoramus. *Burrhus* veſter aureum Medicis ſeculum promittere videtur ſi ea felicitate perennaverit. Sed mortalibus inſitum novos ſemper Medicos ſectari, ubi invaluerint, inſectari. Verè *Stoicus*: nulli ad aliena reſpicienti ſua placent. Tu, mi Borrichi, apis inſtar dulciſſima artis noſtræ, ut cœpiſti, ſecreta hinc inde ſectare, & optimè vale, qvod ex animo precor. Hafniæ XIX. April. cIↃ IↃc LXI.

T. T. Th. Bartholinus.

EPIST. XCI.

Iterum de Bilſii conatu, ſceleto ferreo, muſculorum figuris Hornii.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

QVando iterum in bilem verſus eſt Bilſius, officii mei eſſe putavi, literis id ipſum ſignifi-

nificare; qvanqvam mallem jucundiora ſcribere, & digniora cœleſti Tuo genio. Igitur ex qvo Bilſius per interpretem Reſponſionem Tuam recognovit, vocatis ad ſe amicis Zaſſio, Jordano, Angvilleſio, aliisq; neſcio qvibus, rurſus in aperto cane labyrinthum thoracici ductus, inſertionem ſed obſcuram in ductus qvosdam jugulares ad caput tendentes & deniq; ſectionem muſculorum ſine ſangvine magno conatu oſtendit, identidem minitans ſe à Stat: Generalibus impetraturum brevi veniam idem Leidæ publicè oſtendendi, atq; ita tandem Anatomicis Leidenſibus fauces obſtruendi, ad qvos Bartholinus provocâſſet. Aſtantes mirari omnia, extollere in cœlum, atq; ita triumphare, ut eorum unus poſtridie Dn. Sylvio ſcriberet Bilſiana illa myſteria digna eſſe, qvæ toto Mazarini patrimonio, hoc eſt 20. millionibus obryzi auri redimerentur. Elapſis aliqvot diebus inviſit me hîc Leidæ D. Anguilles magnus Bilſii amicus, viſa apud ipſum magnopere prædicavit, addens in eo jam eſſe Jordanum ut in Bartholinum invectivâ inſurgeret. Excepi haud aliud lucraturum Jordanum, qvàm ut ſe proſtitueret, & magnum virum allatrando, caninam facundiam oſtentaret à Bartholini aliqvo diſcipulo forſan iterum caſtigandam,

proinde prudentiùs facturum ſi vel tandem toties clamatum Bilſii Hylam, ſecretumq́; orbi, ſi ſciret, patefaceret, vel tacere ſe poſſe illa, qvæ nondum didicerat, tempeſtivo ſilentio doceret. Interrogavi num Bilſius motum lymphæ à trunco verſus artus clarè jam demonſtrâſſet, num in cane adhuc vivo ſectos ſine ſangvine muſculos oſtendiſſet? Reſpondit canem fuiſſe jam ante mortuum, jam ante præparatum (ad qvam præparationem nemo admittitur) motum lymphæ ſe non auſum fuiſſe ſcrupuloſè qværere, ideoq́; hactenus dicenti Bilſio credere. Id ſolùm videbar mihi ex ipſius ſubobſcuris verbis intelligere, Bilſium ligare alicubi arteriam aortam, aut qvamvis aliam, cane adhuc vivente, hinc ex lege circulationis ſangvinem ſenſim illam partem deſerere, & in venis poſtea accumulari, atq́; ita partem qvamvis ſangvine alibi collecto, facilè ſcindi, ſine ulla cruoris effuſione. Vix biduum ab ejus diſceſſu effluxerat, cùm Bilſii Epiſtola publicatur (qvam à Jordano editam eſſe & Anguilleſii ſermo videtur conficere, & Cl. van Horne ſtylum agnoſcit Jordanianum ſibi ante infeſtum) ſine ratione mordax, dentata, veneno plena, qvam mittere unà ſuperſedeo, qvia à Dn. Blaſio miſſam arbitror, Cl. van Horne in ſuâ mu-

miâ

miâ pergit, vidiq; apud eum nuper brachium humanum ita conditum ſine balſamorum ullâ mixturâ, ut omnia vaſa apertiſſimè oſtendantur, non aliter ac in recenti cadavere, color nativus partium, ſed pallidior aliqvanto (id qvod tamen facile ſe emendaturum profitetur) imò & mobilitas articulorum conſervetur. Sanè, ſi ita reliqvum corporis abſolverit, jam licebit Bilſio cæpas comedere, & florenis 50000. fruſtrato (tanti enim mumias ſuas ſimul æſtimat) parciùs ſua laudare, cum infra Hornianum artificium videantur æſtimanda. Rogatum Te per me voluit Cl. van Horne, ut paulo plenius, ſi otium eſſet, ſibi ſignificares qvis ſit ille Theophilus Raynaudus, qvem ad partes vocas in Reſp. ult. ubi impreſſus, num ſolidè materiam illam de Mumiis pertractet. Monſtravit mihi inter rariora ſua Cl. van Horne I ſceleton ferreum artificioſum à Hoffwenio Sveco ſuperiori anno hic elaboratum, in qvo venæ, arteriæ, & nervi, imo & lymphatica oſtentantur, ſibi mutuo, ut in homine fieri ſolet, implexa; venæ ſubcoeruleo tinctæ colore, arteriæ rubicundiore, nervi albo, lymphatica ex pellucentibus globulis vitreis confecta ut ſimul perſpicuitas liqvoris & valvulæ qvodammodo adumbrentur, omnia ex

ferreis

ferreis filis, ſed variæ craſſitudinis elaborata, & in ſceleti formam eleganter efficta; 2. muſculorum omnium corporis humani elaboratiſſimas figuras, colore nativo ſplendidas, & partibus qvadrimuli pueri magnitudine reſpondentes, qvas magnâ induſtriâ ſe per inſignem artificem hîc ait curâſſe perfici, creditq; nusqvam gentium tale opus artis extare; 3 ſceleton humanum nigrantibus ex atramento umbris ita hinc inde diſtinctum, ut intuenti & numeros adſcriptos legenti ſtatim pateat principium & finis muſculorum per univerſum corpus. De ſalivaribus vaſis qvæ nata ſit Dn. Blaſium inter & Stenonium noſtrum controverſia, non attingo, contentus adjeciſſe, Dn. Deuſingium in tract. de Nutrimenti elaboratione, oſtendere ductus illos inferiores (qvos Whartono tribuimus) Avicennæ fuiſſe cognitiſſimos, atq; ab eo libr. 3. Can. fen. 6. prolixe deſcriptos, qvibus Galenum, Carpum & Beringarium, ut vaſorum horum conſcios adjungit; qvod ſi idem de ſuperioribus afferri poſſit, qvod ominantur nonnulli, jam de invento non videtur operoſe litigandum. Tractatum Everardi de hominis brutorumqve exortu cum Dn Naſchovio tranſmiſi, ſperoq; fore, ut brevi in manus Tuas incidat. Urgente tempo-

tempore, & feſtinante tabellario, nihil ſupereſt qvod addam, niſi me, dum vivo, futurum, Excellentiſſime Vir,

Clariſſimo Nomini Tuo addictiſſimum

Lugd. Bat. 21. April. A. 1661.

Olaum Borrichium mm.

EPIST. XCII.

De muſculorum Sceleto. Monſtra gemella.

Olao Borrichio Leidam.

PUdore ſuffundor, qvod tamdiu reſponſum ad literas Tuas exoptatiſſimas diſtulerim. Noli credere mea id culpa factum. Gratiores enim fuere, qvam ut negligerentur. Febricula me interea exercuit, & uxoris meæ chariſſimæ morbo implicitus amicis vacare non potui. Nunc, qvia uterq; cum ſanitate nonnihil in gratiam rediit, ad officium reverſus, gratias ago qvod per literas freqventes mihi communices, qvæ volupe eſt noviſſe. Advenit ad nos Illuſtris Burrhi veſtri diſcipulus qvidam, ut qvidem refert, ægrosq; noſtros benè ſperare jubet.

bet. Utinam promiſſis amplis eventus reſpondeat. Generali Majori Eggerich, magna promiſit. Dubito an ſit verus vates futurus. Gangrænam ſpernit, nec dubitat pro ſedanda diſuria, illi qvoq; parti affectæ applicare emollientia doloremq; ſedantia butyrum, crocum, lac, &c. Exitus acta probabit. De Bilſio omnem jam curam depoſui, cum Repudii formulam antiqvam ipſi miſerim. Hiſce enim litigiis nolim amplius implicari, nec otium id permittit. Qvanto nunc ſatius eſt, ut loqvar cum *Seneca* l. 3. de Ira c. 28. amicos parare, inimicos mitigare, Remp. adminiſtrare, transferre in res domeſticas operam. Admirentur hominem qvi velint, ſeqvantur, laudent, oſculentur umbram, ad me iſta pertinere non putabo. Id populus curet,

—— qvi ſtultus honores
Sæpe dat indignis, & famæ ſervit ineptus;
Qvi ſtupet in titulis & imaginibus; —

Theophili Raynaudi Clariſſimi ex ſocietate Jeſu Viri liber de Incorruptione Cadaverum tanti non eſt, qvi à *Cl. van Horne* deſideretur. Impreſſus eſt Avenione in 8. Si velit, illius in gratiam curabo exſcribi. Muſculorum figuras colore nativo apud amiciſſimum *Hornium* à

Te

Te viſas, nollem ſibi ſecretas ſervaret author. Similes alibi vix extare ſcio. Aqvapendentis non abſimile fuit inſtitutum, ſed credo artificem Apellem defuiſſe. Ejusdem tabulas ſatis magnas æri inciſas habeo, qvæ necdum, qvod ſciam, lucem publicam viderunt. Bona fide eas mihi concredidit beatus *Rhodius* noſter. De ſceleto verò ex muſculis artificialibus conficiendo, magnas olim cogitationes cepi, qvas jam depoſui. Animus fuerat in ſceleto humano ſuis locis affigere muſculos ex corio vel panno rubro ad ſimilitudinem verorum muſculorum confectos, ut alia demonſtratione in mumiis vel tabulis opus non eſſet qvando recentia cadavera denegarentur. Mutavi exinde conſilium, ut labori parcerem & me his ſtudiis ſubtraherem, qvæ plus oneris qvam honoris hactenus inter noſtros procurarunt. Dandus aliis locus, qvi, me ſuaſore, provideant diligenter

ne pectus oberret
Cærulea in tabula,

namq; ego fortunæ veniam dedi. Plura aliàs. Addo tamen, ut fecundior ſit Epiſtola, fecundum eſſe gemellorum enixu annum, & copia digitorum. Heri enim mulier qvædam plebeja

in

in urbe gemellas peperit, utriusq; manu ſex digitis aucta & ornata. Sæpè in numero digitorum ludentem vidi naturam. Vidi in urbe puellam ſex in manu digitis luxuriantem. Duorum pollicũ articuli infimi connati cernebantur, extremis ſeparatis. Alium puerum duplici pollice obſervavi. Agnus in ædibus meis nuperrimè duplici natura editus. Duplex erat ſcrotum, in utroq; ſuus latebat teſticulus. Vulvæ autem veſtigium elatiori loco erat. Hoc ipſo qvoq; anno in Provincia noſtra agnus viſus triplici lingva, alibi duplici capite, in qvorum altero informis caro magnam ejus partem tegebat, alterum dentibus plenum erat. Ego verò totidem lingvas digitosq; mihi apprecor, ut pro meritis & affectu meo Te laudem, qvem tanti facio qvanti neminem. Vale, amice optime, & publico bono, cui natus es, diu vive, meq; tibi prorſus addictum ama. Salutant Te fratres & Collegæ. Hafniæ VI. Jul. cIɔ Iɔc LXI.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPIST.

EPIST. XCIII.

De Mumiis. De Pelicano, De Hermaphrodito, & aliis.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam

EX qvo poſtremas dedi, literæ omnes mihi amaræ, & acerba lux ipſa ob acerbiſſimum cœleſtiſſimi Patroni obitum, in qvo qvid Patria, qvid Academia, qvid omnes boni amiſerint, interpretari deſinam, ne commune vulnus attactu recrudeſcat. Pauca apud nos hodie nova, niſi qvod Bartholini nomen indies magis inclareſcat, nec obteratur Bilſianorum latratibus, ſed illuſtretur. Centuriæ Anat. ultimæ cum tract. de nive verſantur ab eruditis cupidiſſimè, multa ibi præclara, rara, ingenioſa; Nic. Stephani nomine qvæ nuper allatæ ſunt Animadverſiones ſpiritum & genium magni literatoris diſſimulare neqveunt; unum miror, cùm ſupra vires meas longè ſe attollant, eſſe tamen inter Profeſſores Leidenſes non paucos, qvi meum partum appellitent, imò usq; eò pervagata fama eſt, ut Bilſius nuper cùm Achate ſuo Jordano Hagæ multa & magna mihi tanqvam Auctori minatus ſit. Sed intra minas hactenus res ſtetit, ſperaboq; ſi ex iſtis fumis coëat tandem tempeſtas in nimbum, deſuturum

rum

rum non eſſe, qvi pluvium Oriona paulatim compeſcat. Nec leve vulnus inflixit Bilſianæ hæreſi Stenonius noſter diſputationibus nuperrimis Tuo etiam celeberrimo nomini inſcriptis, in qvibus ſi qvid in Dn. Blaſium dictum videbitur aſperius, mei id conſilii non fuit ut publicè ſe ita vindicaret, ſed ardens juvenis cum Ciceroniano Aterio ſufflaminari neqviit, qvin publicam præfationem publicâ exciperet reſponſione; ſi qvid ab ipſo in Deuſingium hepatis novum Statorem tentatum, amore Præceptoris Dn. Bartholini, id cœptum, nec forſan, ut opinor, immeritò, qvippe cùm Deuſingio manus ad ſcribendum pruriat ſemper, nec tamen in Anatome, aut Bilſianis ſecretis multum olei conſumpſerit, non ferendum putavit Stenonius ut de aliorum laboribus ſine ſudore triumphet. Edidit idem præter Animadverſiones in Charletonem, etiam de hepatis officio (in qvo obliqvior eſt in Clar. Bartholinum) tractatum, item de fœtu Muſſipontano in abdomine nato Schedion, in qvibus omnibus plus diligentiæ & vellicationum eſt, qvàm ſolidæ & cordatæ eruditionis. Medicum ſtudium hic vix unqvam fervidius tractatum eſt, nam Dn. Sylvius fervore bilem inter & pituitam, id eſt ſpiritum acidum & ſalem lixivum,

ut

ut vocat, excitato omnia pæne corporis mala definit, atq; ita continuas in noſocomio ſectiones cum Divâ Chemiâ jungit, ut, cum hoc menſe pæne qvotidie creati ſint novi Doctores Medicinæ (in qvibus & Cæſarem nomine & Galenum numeravimus, qvanta nomina!) omnes ex ipſius officinâ prodierint, Sylvianisq; principiis inſtiterint, Dn. Lindano cum ſuo Hippocrate deſerto & vacuâ in aulâ negligi Hippocratem ringente. Qvæ meditatus eſt tribus illis vaſtis voluminibus Dn. Schneiderus, ſuos etiam pati manes, paucis, ſed ut ſpero, validis momentis evicit Stenonius privatis mecum ſectionibus intentus; libellum, qvàm primùm commodè transferri ad vos poſſit, mittemus, adjunctis obſervationibus qvibusdam de vaſis oculos humectantibus & præſertim ductu, qvi in punctis lachrymalibus exortus in nares abit, & per longitudinem naſi porrectus ad ultima naſi flabra interius ſe exonerat, unde lachrymantibus non per oculos tantùm, ſed & nares ſeri copia ſolet profluere; canalis eſt, haud ſcio, an unqvam Anatomicis ante obſervatus. In nupero ſubjecto in noſocomio, pericardium inventum adhærens ubiq; firmiſſimè cordi, ſine ullâ aqvæ pericardii guttulâ, ſecante Dn. Sylvio, qvi jam liberius & publicè in Bilſium

 inve-

invehitur, qvòd reverſi Roterodamo amici nunqvam magis ferbuiſſe Pyrgopolnicem narrent, qvàm ex qvo Stephano tuo flagellante vapulavit; duo cadavera pollincta vendidiſſe fertur Chriſtiano Duci Megapolitano 16000. florenorum, ſed ad qvasnam Calendas numerandi ſint ultimi aſſes, nondum liqvet, jamqve in eo eſt ut reliqvas vendat mumias cum arte condiendi, utrum id fiat metu artificii Horniani, an fortaſſis dono aliis oblaturus ſit, qvæ tot millibus flor. vendere ſe gloriatur, nolim divinare; id unum indubitatum mihi, ſine ſpe prædæ hæſurum ipſum in ſcopulo, poſtqvam tot Medicinæ proceres vanâ jactantiâ adverſum ſe accendit. In nundinis noſtris viſa iterum Catharina Flandra, 18. annorum puella, vaſtiſſimi corporis, tota pulpamentum, præ pingvedine non ſtare, non incedere docta, ipſa jam 275. libras civiles pondere implens; viſus pelecanus vivus in multis ab icone Jonſtoni degenerans, pedes illi & corpus pæne anſerinum, ſed alæ multo longiores, collum ciconiæ, roſtrum ſubincurvum, longum, & in extremitate rubeſcens, inferior roſtri pars membranacea, inſtar ſacculi capacis, lingva illi nulla, color trunci & pectoris ſuavè purpureus, alæ ad album inclinabant; viſus her-

hermaphroditus triennis, cui Marthæ nomen, qvòd fæminæ eſſet vicinior, namq; virilis nota ſupra pubẽ eminens mentiebatur potius mentulam, qvam erat, qvippe ex carunculis rubicundis maſſa informis conſtabat; per qvas urinæ guttatim reddebantur; viſus & Petrus Dithmarſus ſexennis, cui cætera ſano ſiniſtræ pollex vaſtiſſimus, index adhuc vaſtior, à Starcatero aut Rolando mutuo ſumptos crederes, caro illis mollior, nec tamen doloribus obnoxia, niſi paulo ante tempeſtates ingruentes; viſus Chuſcus animal per omnia pæne conveniens Jonſtoni Carygveiæ, qvæ fœtus licet adultiores receptabat pro arbitrio in vulvam, qvæ illi interius hirſuta, facies in multis vulpeculæ, cauda ſerpentina, à qva ſe ſæpe ſuſpendebat ad arbores. Fuere & qvi vivum ichneumonem, & coati oſtenderent, alius vitrum in filamenta tenuia deductum colo nebat verſatili, id qvod qvî conveniat cum Carteſianis non aſſeqvor, qvi particulas vitri ita rigidas definiunt, ut ne flecti qvidem poſſint. De Burrhianâ dexteritate adhuc variatur judiciis, nec dum enim in ſalvo Appelbomius; aëreum ſe Philoſophum in familiari mecum colloqvio appellabat, omnia ſe & puriora ab aëre poſſe arceſſer[illegible] 'entidem non obſcurè innuens,

qvam qvæ à terreſtribus eliciunt proletariæ Medentum cohortes. Sagax illi ingenium, prudentia Itala, locuples crumena. Dn. Heereboort tui ſtudioſiſſimus ante biduum obiit. In Anatomicis, qvod ſciam nihil alioqvin publicam aſpexit lucem, D. D. Hubertus Carteſianus varia molitur, ſed adhuc intra domeſticos parietes, præſertim in cerebro occupatur expendendo, fibras ibi Carteſii perſeqvitur, illarumq; nexum, exortum, progreſſum, totus in eo ut ad conarion tanqvam centrum omnes derivet; ego qvidem cum Stenonio fibras ibi ſæpe obſervavi & innumeras, ſed progreſſus non licuit examinare. Audio Rudbekium in eo eſſe, ut ſpecimina qvædam rara, nec hactenus audita edat, qvæ ad vos prius, qvam in Belgium forſan advolabunt. Plura aliàs, ego interea Te, Vir celeberrime, ſacro Numini & Divæ Hygieiæ ex animo commendo, ut in Patriæ gloriam lucidiſſima ſtella diu radies, ſcintillesq;& ut conſveviſti, amare pergas

Lugd. Bat. A. 1661. Nominis Tui Clariſſ.
23. pul: ſtudioſiſſimum

Olaum Borrichium
mm.

EPIST.

EPIST. XCIV.

De Pericardio. Clitoridis excreſcentia, Feminæ barbatæ ex Hippocrate illuſtrantur.

OLAO BORRICHIO Leidam.

IMmaturum Stephani mei opuſculum, Tibi rerum uſu & eruditione maturiori adſcribi, valdè miror. Neſciunt vel neſcire volunt qvid inter utriusq; genium & pennam intercedat diſcriminis, qvi ita judicant. Doleo autem vices tuas qvod mei in gratiam invidiæ illorum ſubjiciaris, qvi ſatis docti ſunt ad maledicendum. Tua verò Te virtus in tuto locat. Nihil non viciſſim Tui cauſa experiar. *Blaſium* & *Stenonium* optarem in priſtinum amicitiæ fœdus redire. Controverſia vix meretur tantum disſidium. In *Deuſingium* nollem qvidqvam aſperius dici, qvia amicum ſe meum profitetur. Amicè me in Epiſtola videtur tractaſſe, unde paria referre ipſi debeo. *Sylvii* veſtri magnas & ſupra vulgus Medicorum ſurgentes operas æſtimo, qvibus Anatomica Chymicis jungit in functionum noſtrarum illuſtrationem. Omnia laudem ſuperant, & famam illi ſpondent æternam. Bonum autem *Hippocratem* ejusq; Interpretes, inter qvos *Lindanus* eminet,

nollem de ponte dejici. Ita enim ſemper novis recentiorum ſententiis & opinionibus calculum adjeci, ut ſua antiqvitati reverentia ſervaretur, cui artis noſtræ fundamenta debemus. Obſervationes de vaſis oculorum, prorſùs novis, avidiſſimè exſpectamus, gratias inventoribus acturi ampliſſimas, qvas diligentia & felicitate merentur. Sylviana obſervatio pericardii ubiq; firmiſſimè cordi adhærentis, forſan ſimilis eſt illi *Columbo* l. XV. notatæ in diſcipulo Romano, cui pericardium dicitur defuiſſe, indeq; in ſyncopen incidiſſe aqvæ defectu. Pelicani roſtrum in Muſæo ſervo ſimile illi qvod in vivo te vidiſſe refers. Vidi eundem vivum, aliisq; vocatum Onirocrotalum. An verò is ſit Pelicanus, de qvo adeò multa pietatis exempla memorant antiqvi, valdè dubito. Qvia hermaphroditi facis mentionem, narrabo de Hallanda femina barbata Urſula, annos nata 32. qvæ in urbe noſtra oberrans pro hermaphrodita ſe jactat. Ut barbam nigram tegat, velo utitur, unde & pro exploratore habita fuit in oppidis nonnullis, qvæ pertranſiit, qvaſi ſexum mentiretur. Penem ſat magnum monſtrat, cum glande & præputio infra os pubis pendulum, & ſub hoc oſſe rimam vulvæ anguſtam, vix pennæ anſerinæ

tinæ, recipiendæ capacem, per qvam lotium mittit. Menſtruo hactenus fluxu caruit, ſed malè tamen habet novilunii tempore, & varicoſi ſunt pedes. Urethra autem in pene pervia non eſt, nec in ſcroto teſticuli propendent, virilitatem atteſtantes. Accuratè igitur ſine paropiis intuenti mihi apparet eſſe clitoris ſolito major & prolixior. Eo enim loco conſpicitur, qvo in aliis clitoris, in rima magna, qvæ ab extremo hujus deſcendit ad vulvæ orificium ſupra montem veneris, ad latus labiis pudendi munitus. Clitoridem aliàs longius excreviſſe vidi. Dimidiati digiti longitudine obſervavit *Tulpius*, & colli anſerini magnitudine deſcripſit *Platerus*. In furore uterino φλόγωσιν concipere & manifeſtè tumere annotavit nuperrimè *Antonius Menjotus* in Diſſert. Pariſ. edit. 1660. p 291. 292. Ego Venetiis oſſeam ſatis prolixam vidiſſe me memini. Feminam igitur hanc potius eſſe cenſeo, qvam marem, qvanqvam, propter menſium defectum, barbam alat. Interrogata an maritum velit, annuit, modo haberi poſſit. Hinc deinde in Pomeraniam abiens, corporis ſui uſura Feminam ſe probavit, petentibus militibus nimium de hac venere curioſis ſoluto pretio familiaris, nimis profectò pretioſo, nam lue Venereâ infe-

cta receſſit. Turpis feminæ elegantem picturam expreſſit Appelles Regius *Carolus van Mander*. De barba ex menſtrui ſangvinis ſuppreſſione qvæ dixi autorem, ut noviſti, habent *Hippocratem*, apud qvem l. VI. Epid. ſ. 8. binæ mulieres recenſentur propter eandem cauſam barbatæ. In vetulis id familiare poſt ordinarias menſium vices. Aliqvæ tamen uberius in corpore & mento pilis luxuriant. Vidi nuper in villa fratris mulierem grandævam LXX annos natam, ſurdam, prolixè barbatam, qvæ licet toto corpore rugoſo hirſuta eſſet, barbam tamen tam demiſſam denſamq; geſtabat, ut ſtatis vicibus, ne oneri eſſet, tondere cogeretur. Aſperam qvoq; ſeu gravem vocem habuit, qvam in Phaëthuſa Pythei conjuge notat *Cous* §. 55. Neſcio an hinc ſententiæ ſuæ argumenta mutuari poſſint, qvi pilis generandis ſangvinem pinguiorem accerſunt, qvi plerunq; in vetulis frigidior. Hinc forſan alii timidiores, ſuccum ſingularem in ſangvine diſperſum, ſed nomine ignotum ſubſtituunt. Nihil tamen mutare ſatius duco. Qvando enim ſangvis in corpore ſubſiſtit ſive morbo ſive ætate in feminis, qvi aliàs excerni conſveverat, ſubſiſtunt & excrementitiæ humiditates in ſangvine, qvas per pilos natura ſolers expurgat.

gat. *Burrhi* magna apud nos fama eſt, qvam conſtantem ipſi opto, niſi retrò fata ſe vertant. Tu verò, mi Borrichi, de magna & perennatura fama certior, ſicut mereris porrò felix iter ſuſceptum perfice, & me, qvem tuum eſſe non ignoras, amare perge. Salutant Te Collegæ omnes. Hafniæ XIX. Auguſt. cIↄ Iↄc LXI.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPIST. XCV.

De Burrhi ſcientia, Bilſii mumiis, Blottesandæi ſcripto, Boylæi experimentis, &c.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

SÆpius ad Te irent literæ meæ, ſi vel res Tuæ, vel meæ in ſupervacuum metam intenderent; nunc qvando nec curæ tuæ Orbi erudiendo deſtinatæ verba rebus caſſa relegere ſuſtinent, nec meæ ſuſtinent ſcribere, tacendum mihi fuit, donec ſcribendi materies digna qværenti ſe offerret. Primùm igitur, qvod ad Dn. Burrhum, ad colloqviū ejus & qvædā ſecretiora ſpectanda, judicanda admiſſus, ex ultro citroq; ventilatis variis capax ingenium non difficulter

videor mihi colligere. Qvid multis? Barthollino etiam, ſi qvis alius, favet ex animo, ſuoq; nomine officioſam per me denunciat ſalutem, ex ſcriptis egregiis & imagine Anatomico ſcripto præfixa magnum Bartholini ingenium ſe cognoſcere identidem ingeminans. Viſi ſunt mihi theſauri ipſius & multi & electiſſimi, aurum, gemmæ, variora Naturæ & artis opera; inſpectum ſolicito oculo laboratorium; auditi miri de rerum Natura, de generationibus hominis, herbarum, mineraliumq; diſcurſus. In medicando tamen ajunt ipſum non ſuſtinere ſemper exſpectationem ægrorum, aliqvando tamen proſperrimè ſanat. In metallicis credibile eſt illum ſive ſuâ ſive (ut ſunt qvi exiſtiment) aliena dexteritate eò eſſe provectum, ut de paupertate ſecurus triumphet; ſervo ego ducatum unum & item alterum cum imagine Ducis Oenipontani ab ipſo mihi, nomine auri veri Chemici donatum. Nemo tamen facile ſperet ſe in adyta ſecretorum ejus penetraturum, ita tectè, circumſpectè, occulteq; loqvitur, ut Oedipo opus ſit conjectore. Donaverat ipſi nuper Princeps qvidam ſecretum condiendorum cadaverum à Bilſio magna pecuniarum vi redemptum, illud ipſum ſecretum mihi poſtea communicavit, tanqvam parvi ſibi æſti-

æſtimatum. Præparatio illa Bilſiana ingenioſa tamen eſt, neq; verò tota elixatione (qvod perſvadere incautioribus paraverat) abſolvitur, neq; olea & balſama alio ferè inſtituto inunguntur, niſi ut tegant artificium. Bilſius jam deſperato imbre aureo Excluſam iterum regreſſus eſt, nullâ re ditior qvàm ære alieno. Tacent hodieq; ejus clientes, niſi qvòd Deuſingius adhuc lacertos validè moveat, & neſcio qvod regnum literarium animo meditetur. Nihilominus aut valde fallor, aut frænum illi paratum eſt, qvod proximo anni qvadrante laſcivientem compeſcet, prodierunt enim nuperrimè Epiſtolæ qvædam Eruditorum, edente Blotteſandæo, qvibus libere in omnia pænè ejus ſcripta animadvertitur, præſertim à ſupercilio ejus vindicantur ſummi Viri Thomas Bartholinus, Charleton, Burrhus, Scottus, Schneiderus, &c. Mitto cum nauclero Amſtelredamenſi exemplaria duo, in qvibus deprehendet Vir celebertrimus ſcriptorem nominis illuſtris Bartholiniani amantiſſimum, & felle qvidem hinc indè madentem ſed, ut apparet, veri oppido ſtudioſum; Inciderunt nuper in manus meas glorioſæ Deuſingii literæ, Dn. Vorſtio inſcriptæ in qvibus & in Dn. van Horne invehitur, & ſe nihil adeò formidare con-

contendit Bartholini calamum. Qvis ſcripti auctor fuerit, variant hic judicia aliis aliò inclinantibus, ſed hariolari non eſt meum. In Anatomicis nihil prodiit novum; Stenonius jam iterato opere ſua inventa luci exponit additq; adverſus Deuſingium vindicias. Haud ſcio, an Boylei ſcriptum in manus Tuas inciderit, rara illi fuerunt circa aërem experimenta, de Reſpiratione qvædam adjungit oppido curioſa; beſtiolas varias, mures, alaudas, vermes, inſecta in vitrum capax immittit, mox potenter aërem omnem è vitro exſugit, hinc raræ obſervationes circa convulſionis doctrinam, & neceſſitatem attracti aëris natæ. Excuſus jam iterum eſt Hagæ liber Boylei latino idiomate, qvanqvam alia plura ſint ejusdem Auctoris Anglice conſcripta, omnia perqvam curioſa. Dn. van Horne Veſalii Epitomen Anatomicam novis notis illuſtrat; Dn. Sylvius nondum ſpecimina ſuæ Philoſophiæ publico communicavit, ſive, qvod alii putant, nè ægre ferant Carteſiani, ſive qvòd limam nondum ultimam addiderit. Dn. Lindanus totus hactenus Hippocraticus jam Carteſianis æqvior eſſe cœpit & Hippocratem Carteſianum fuiſſe docet, & Carteſium Hippocraticum, jam in Chemicorum caſtra tranſilit, Theoriam ex Hippocrate

crate & Carteſio, praxin ſalutarem à Chemicis ſvadens hauriendam. Sed deſino. Vale Vir celeberrime, atq; ut familiare Tibi hactenus, favere perge.

Lugd.Bat.A.1661. 24. Nov.

Celeberr. Nom. Tui Studioſiſſimo Cultori

Olao Borrichio.

EPIST. XCVI.

De Corallorum tinctura & ſale cubiformi.

OLAO BORRICHIO Leidam.

Nihil freqventioribus tuis literis mihi unqvam gratius, doleoq; qvod paria ſemper non faciam. Intimam Tibi Magni Burrhi familiaritatem gratulor, cujus ubiq; magna fama. In ſinu qvoq; gaudeo, qvod & me inter amicos numeret, & ſalutandum juſſerit. Redde meo nomine gratias, & officia promptiſſima defer. Majorem gratiam mereretur, ſi curioſos dignosq; ad intima ſua admitteret, ut ita ad plures beneficii illius fructus diſtribuerentur. Multum eſt qvod Bilſianum ſecretum cadaverum condiendorum ſis ab eo nactus,

ctus, ita enim ſpes nobis affulget aliis qvoq; iri communicatum, ut ſuas tandem criſtas Bilſius deponat. Nummum aureum Burrhianum hic habuit ſecum D. Anderſonius, qvi jam Curlandiam meditatur. Diſſertatio mea de Hepate Cl. *Deuſingio* oppoſita, dudum eſt confecta, ſed ante nundinas Francofurtenſes publicæ luci non exponet Bibliopola noſter Hauboldus, ne ſumptus ſuos perdat per Belgarum in recudendo promptitudinem. Non eſt qvod calamum meum reformidet, amicè enim & modeſtè mecum egit, ſicut inter bonos decet, & me qvoq; minus mordacem experietur, qvia amicitias malo, qvàm inimicos. Epiſtolas à *Blotteſandæo* editas necdum videre licuit, neq; qvicqvam ex experimentis *Boylei*, etiam de nomine mihi hactenus ignoti. Auges beneficium qvod nova hujusmodi, non mihi tantum indices, ſed & mittas, qvanqvam tardius ſubinde curentur. Qvicqvid in his ſimilibusq; emendis impenderis, libenter refundam, ſi precium mihi ſignificaveris. *Stenonii* noſtri diligentiam & felicitatem ſatis laudare neqveo, qvanqvam necdum qvidqvam viderim, qvod ex penna illius publicè profluxerit, nuper tamen majoribus illum de meliore nota commendavi, cui aliqvando Theatrum noſtrum, adhuc pulvere

ſqva-

ſqvalidum, committi poſſit. D. *Mönichenius* has officii partes declinavit. Ita ars Medica in Academia feriatur. D. *Oſtenfeldius* noſter in Bibliotheca publica beato *Bangio* ſucceſſit. Nuper tamen in præſentia Ser. Reg. Maj. binis canibus lien fuit à Chirurgo Regio exſectus, ſucceſſitq; in primo experimentum, altero mortuo. D. *Suabius* in Sveciam vocatus eſt ad defuncti Regis fratrem lauto ſtipendio. De cætero peſſima eſt medicinæ apud nos conditio. Det Deus meliora. Vos interea inter Muſas florentes habitatis. Avidè ſcirem, an qvidqvam amplius in Nive ſis expertus. Vidi inter rariora Magni Gersdorphii tincturam tuam coralliorum ſignatam, menſtruo inſipido productam, ut & ſalem cubiformem. Verbo docebis me, an hæc menſtrua ex nive vel glacie conficiantur, ut inde majus nivi pretium ſtatuere poſſim. Vidi qvidem aliud menſtruum inſipidum aqvoſum apud Amicum hic noſtrum in Chemicis verſatum, tam ſalem qvam tincturam corallorum elicere, vix tamen ipſe ſtatuere audet veram illam eſſe tincturam, aut verum ſal corallorum. Qvicqvid ſit, ſi ita tibi viſum fuerit, Catalogum rariſſimorum tuorum in chemico laboratorio Magni Gersdorphii laborum, ſi accuratum miſeris, Ciſtæ Medicæ inſe-

inſeram, qvæ ſub prælo jam fervet, magna tua cum laude. Hiſce Vale, amiciſſime Borrichi, & me ſemper tuum, porrò ama. Maximis Veſtris Doctoribus plurimam per te tranſcribo ſalutem, Vorſtio, Lindano, Sylvio, Hornio, Golio, &c. Raptim Hafniæ Prid. Calend. Decembr. 1661.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPIST. XCVII.

De variis in Anatome obſervatis. De nivium ſale & ſulphure, &c.

THOMÆ BARTHOLINO Hafniam.

QVem ut hactenus ſemper, ita plenius ultimis teſtatus es literis mei amorem, qvæſitiſſimis gratiis prolixè venerarer, niſi conſtaret, non apud Deos modo efficacius agi, haberiq; gratias ſentiendo, qvam loqvendo, ſcribendoq;, ſed & apud homines diis ſimiles: in qvibus cum Te cœleſtiſſimus animus jam diu repoſuerit, de vocibus laborandum mihi non erit, qvando pectus nunc ipſum perorat, &, qvoad vixero, perorabit. *Deuſingius*, ut accepi, dum in confutando *Digbæi* de Pulvere Sympathetico

thetico tractatu fervidè occupabatur, ſenſit à Blotteſandæanis ictum improviſo ad medullas usq; penetrantem, impactumq; pectori telum qvater ore momordit. Rarus hic eſt Medicus, qvi non ex animo ipſi fiſcellam hanc gratuletur: Dn. *Vorſtius* etiam repetitis Epiſtolis ipſi ſuam illam parturiendi libros pruriginem exprobrat, Dn. *Lindanus* & *Golius* privatas ſuas Epiſtolas ab ipſo inconſulte publicatas qveruntur. D. *van Horne* ex qvo me narrante audivit Vindicias tuas in *Deuſingium* mordere carceres, magno deſiderio nundinas Francofurtenſes præſtolatur. Siſtit ſe jam tandem *Stenonii* tractatulus, qvi utinam ſe Tibi cæterisq; probet Patronis, & famæ primordia feliciter auſpicetur. Dignum ſanè ingenium eſt, qvod in ſpem patriæ adoleſcat, cui ſi poſt exactos aliqvot in his ſacris annos publica Anatomes cura Hafniæ commendetur, ſperabò haud dubie ulteriora adhuc ſalutaris illius ſtudii incrementa. Vivaciſſimis eſt è propinqvò oculis, indefeſſus labore, judicio non infelix, etiam in humanioribus exercitus, cultusq;. *Pecqvetus*, cadente Patrono Fouqvetio, ſecuriora qværit, jamq;, ut accepi, in eo eſt, ut Brædæ erigendæ brevi Academiæ Medici nomine inſeratur. *Bilſius* magna ſpe honorariam Gró-

ningæ Profeſſionem animo concipit. *Boyleus* (cujus ſcriptum nuper miſi) cum *Digbæo*, *Gliſſonio*, *Williſio*, & multis aliis, permiſſu Regio, Londini ſocietatem novam molitur, hoc eſt, Collegium Curioſæ Experientiæ aperire inſtituit, ſumptibus ex publico ſubminiſtratis. *Reuwnerus* qvidam magnæ famæ Chemicus Amſtelredami certam calculi curam pollicetur, nec infeliciter ceſſerunt tentamenta prima, audio tamen in uno atq; altero jam auxilium infra vota ſtare cœpiſſe. Dn. *Burrhus* (à qvo iterum officiosè Tibi ſalutem mitto) verſatur in veteri ſuo curriculo, & multa & præclara minatur. In Anatome hæc duntaxat nova: Secuit nuper Dn. *van Horne* qvendam Martinum den Slaper, Typographum, qvi qvod febricula tentatus carnificis miniſterium occuparet, hoc eſt, ipſum ſe è clavo feneſtræ ſuſpenderet, ceſſit in prædam novaculis publicis. Duo in illo rariora: Totum pectus, imò & abdomen hiſpidum, imò & dorſum, ſed præcipue brachiorum ſuperiora, nec tamen pili illi præſertim in dorſo ad inferiora vergebant, ut ſolenne aliàs, ſed nitebantur omnes verſus ſuperiora; In humeris, qva brachia exeunt, tam hirſuta omnia, ut penè urſi alicujus armos videre me exiſtimarem; In cruribus tamen vix

pilo-

pilorum veſtigium. Qvod ad interiora, ſolus lien peccaſſe videbatur, ablatâ enim, qva tegitur, membrana, totum lienis parenchyma inſtar craſſæ & nigræ amurcæ diffluebat, nihil in eo ſolidum, ut non crederetur diſſimile vero, ex corruptione melancholici viſceris miſerum in deliria actum jus vitæ ſuæ laqveo dixiſſe; qvanqvam fatear Dn. *Sylvium* id non facilè admiſſurum, peccare in melancholicis lienem, qvi in 50 & ultra cadaveribus vix unqvam ſe lienis vitia deprehendere potuiſſe teſtatur. Qvicqvid ſit, certè melancholicus hic fuit, atq; in morbo ſuo nihil magis timuit, qvam ſolitudinem, inſtare ſibi laqveum, ſi ſolus relinqveretur, animo præſagiens. Ut obiter addam, conſvetum illi adhuc ſano fuiſſe, in conventiculis cum amicis, animi gratia ſæpe frontem in imaginem Dæmonis efferare, unde non paucorum conjectura fuit, aſtitiſſe illi in ultimis inviſum hoſtem, & collum laqveo induiſſe. Ex eo tempore ſectus à D. *Sylvio* in Noſocomio febricitans & ictericus, in qvo hæc potiſſimum mihi obſervata. 1. Folliculus fellis grandis, diſtentus bile, hinc ægro ob ductus bilarii obſtructionem diuturna fuerat alvi conſtipatio. In ventriculis cerebri flavus humor bili non diſſimilis; an forſan

bilis alia via in ſangvinem ſpirituoſiori & tincturæ ſimiliori parte irruerat, & humores corporis infecerat? 2. Cor in confinio venæ cavæ hinc inde cruentum, haud dubie ob humorum acrimoniam (qvam acidam voluit Sylvius.) 3. Ductus thoracicus ſe dupliti oſtiolo ſed minuto utroq; & anfractuoſo in ſubclaviam exonerabat. 4. In medio gulæ lumbricus vivus. 5. Labia, qvod tumidiora deprehenderentur, aperta magnum glandularum numerum ſtatim ſub cute oſtendebant; poſtridie privatim aperta crura itidem infinitas glandulas ſub cute latere docebant, ut forſan non incredibile ſit annexas eſſe per univerſum corpus cutis interiori faciei glandulas minutiſſimas, ex qvibus ſudor exprimatur, adeò ut pori corporis non ſint niſi harum glandularum minuti ductus, eſſe autem has glandulas in ſano corpore adeò minutas ut viſum pene fugiant, in morboſo conſpectiores. 6. In glandula pineali inventæ ſunt aliqvot arenulæ duriſſimæ & pellucidæ. 7. Foramen ovale adhuc patens in qvinqvagenario Viro. Deniq; privatim duos embryones humanos ſeptimeſtres uno partu nuper excluſos, ſed mortuos, obtinuimus, in qvibus hæc rariora: 1. Alter altero pæne duplo major, argu-

argumentum ſuperfætationis. 2. Os vaſtum, pili in ſuperciliis, oculi in orbitas refugi, ſternum depreſſum, crura & femora reſpectu corporis reliqvi breviſſima, patellæ genuum extantes, ungvium aderant veſtigia. 3. Hepar grande, pallens, ut & lien, vena umbilicalis craſſitudine æqvabat craſſum inteſtinum, renes ex fruſtulis qvidem compacti, ſed tamen ſic ſatis ſolidi, teſtes intra cavitatem abdominis coërciti, pulmones albi ſed ſolidi, nullus ne in corde qvidem aut arteriis ſangvis, ſed in cavitate pectoris copioſa aqva viſcoſa ſubviridis; credita fuit (meretricula enim erat) pharmaco abortum procuraſſe, &c. Ultimo privatim validum canem vivum ſecuimus, in qva ſectione hæc notanda: 1. Statuimus qvinq; vaſcula vitrea ordine, qvibus infuſus erat ſpiritus aceti, ol. Sal. Tartari per deliqv. ſolutio aluminis, Sp. ſalis armoniaci, Sp. vini; in ſingula vitra ex arteria ingvinali calentem ſangvinem infudimus, inſpeximus poſt intervallum, & plenius poſtridie omnia, obſervavimusq; (qvod & ſuperiori æſtate mihi animadverſum) ſangvinem, cui affuſus erat ſpiritus aceti, redditum nigricantem inſtar ſangvinis melancholicorum, ſedimento craſſo, copioſo, atro, ſupernatantem liqvorem pæne

etiam atrum; cui affuſum ol. ſal. Tartari, redditum coloris ſic ſatis floridi, ſed turbidiorem liqvorem, ſedimentum nullum, ramenta tantum fibrillarum inſtar hinc inde conſpicua; cui affuſa ſolutio aluminis redditum inſtar putidæ & ſubcineritiæ putrilaginis, omni ſangvinis colore prorſus abolito; cui affuſus Spiritus vini, redditum turbidiorem, qvam cui ol. ſal. Tartari; cui Sp. ſal. armoniaci, redditum omnium elegantiſſimum, colore floridum, tenuem ſubſtantia, in fundo ſedimentum diaphanum inſtar gelatinæ ribium, decretum hinc, in ſangvine ſeu corrigendo ſeu in ſuo ſtatu conſervando multum poſſe ſpiritum illum ſalis armoniaci urinoſum, qvem facillimè conficio ita: R. ſal. armoniaci Unc. IV. ſolve in aqva pluvia, hinc R ſal. Tartari Unc. iiij, ſolve in alia aqv. pluvia, confunde citiſſime ſolutiones, deſtilla leniſſime ex arena, prodibit ſtatim ſp. ſalis armon. urinoſi ſaporis, qvi prius deſtillat, potentior eſt, & in variis malis efficax, ſi adjunctis aliis ingratus odor occultetur.
2. Inqviſivimus in experimentum *Eyſſonii*, h. e. expreſſimus ex viventis adhuc canis ventriculo chylum, & ex folliculo bilem, in inteſtinum duodenum ſimul, tentaturi num hi liqvores una effervescerent confuſi, ſed nulla nota-

bilis

bilis efferveſcentia nobis obſervata. 3. Inflavimus arteriam emulgentem prope renes, ſed non penetrare potuit vel flatus, vel ſpiritus vini in pelvim, qvod tamen avidiſſimè à nobis qvæſitum. 4. Deguſtavimus liqvorem in ductu thoracico, & manifeſte acidiuſculum deprehendimus, diceres dilutiorem ſuccum citri. 5. Viſa lymphatica colli & ductus thoracicus ſimul ſe in cavam effundere, locis tamen ita à ſe diſcretis, ut latus culmus inter utrumq; poſſit interjacere; utrumq; tamen foramen valvula communi tegitur circa claviculas, qvatuor præter propter digitis à dextro cordis ventriculo. Sed forſan in Anatome hac vice nimium videbor effuſus, contraham vela, ubi prius adjecero Dn. *van Horne* Ser. Regi noſtro emendum offerre ſceleton illud ſuum ferreum in qvo venæ, arteriæ, nervi, lymphatica, omnia ſuo ordine repræſentantur, alio atq; alio colore ceu vaſa reqvirunt, de qvo ſimulacro, niſi fallor, jam ante monui. Poſſidet qvoq; adhuc figuras muſculorum omnium totius humani corporis artifice manu expreſſas, ſervato colore partium naturali, magnitudo omnibus qvæ referat membra pueri qvadrimuli, tria ſunt volumina, qvæ 1200. florenis æſtimat. Qvod ad nivium (de qvibus

Exc. Tua ſcribit) ſecreta attinet, in iis in Belgio pauca præſtiti, niſi qvod ſuperiori hyeme experimenti gratiâ examinando nivem Batavam deprehenderim eam nec ſulſure inflammabili nec ſale cubico carere, itidem ut illam Hafnienſem & cætera qvæ aërem percolant ſubtilius. Hoc anno nivem hic conſpeximus nullam. Mirum qvosdam in nivibus nitrum aſſerere, cum auſim Jovem lapidem jurare id obſervatum eſſe nunqvam, ſcilicet qvi perfunctoriè rem tentant, ita rem ſe ſe credunt habere, cum curioſioribus alia omnino facie ſe nix oſtendat. Qvæ in laboratorio Gersdorfſiano à me obſervata ſunt, habent forſan, qvo ſe ſe jam tum curioſis probarent, ſed mihi ipſi nondum ſatisfacio, reſtat ut matureſcant plenius mea opera, qvam publicè videantur. Altius penetrare decretum eſt, ſi Deo meo ita decretum. Inter apia, qvod dicitur, adhuc verſor, in ſacraria naturæ intima admitti non eſt niſi Deorum, & Diis ſimilium. Ciſtæ Medicæ nomen meum inſeri glorioſum qvidem, ſed ſupra fortunas hactenus meas. Si meminiſſe mei viſum fuerit, alia ratione fieri non videtur commodum, niſi ut moneatur Lector, ſecutura editione, ubi me Deus Opt. Max. patriæ reſtituerit, juſtum auctarium ex curioſis

natu-

naturæ & artis operibus forſan ſperari poſſe. Menſtruum eliciens tincturam & ſalem Coralliorum, idq; planè inſipidum, qvale dari in rerum natura abnuit *Zwelferus*, in aurem Tibi dicam, ubi nos iterum fata conjunxerint. Vale delitium & decus meum, & electiſs. Collegas officiosè ſaluta, Lugd. Bat. 1662, d. 9. Jan.

Exc. T.

Studioſiſs.

Ol. Borrichius.

EPIST. XCVIII.

De Tinctura Amelungi & Mercurii uſu in ſteatomate.

OLAO BORRICHIO, Leidam.

OBruis me tua humanitate & officiorum promptitudine, & adjunctis munuſculis literariis, *Blotteſandæi* Epiſtolas rectè accepi, & ex illis tuum genium & affectum nonnulli divinant. Sunt enim qvi credunt in Tuo Muſæo natas, velut ex Jovis cerebro, diffuſamq; Tuam eruditionem, ſcribendi elegantiam, & acumen laudant. Optaſſem tamen mitius nonnihil cum adverſario egiſſet autor, qvem vix

 credo

credo malo animo vel me oppugnaſſe, vel ſiniſtra de *Burrho* judicia divulgaſſe. Qvidqvid ſit, Sereniſſimo Regi noſtro alterum exemplar ſubjectiſſimè data occaſione obtuli, qvum de Te ſermo incidiſſet, Rexq; clementiſſimus tuam diligentiam & perſpicaciam clementer laudaſſet, ego qvod mearum partium erat, plura de Te addidi. *Boyleus* qvoq; non ita pridem mihi tuo nomine fuit traditus, pro qvo gratias ago, qvanqvam ante, editionem Londinenſem in Burrſa evolverim. Multum tamen Tibi debeo, qvod primus & nomen tanti Authoris indicaveris, & ipſum librum viliori pretio uſibus meis deſtinaveris, ſi pretium haud gravatè indicares, libenter refunderem. Tandem qvoq; *Stenonii* noſtri Obſervationes Anatomicas accepi, oppido curioſas, novas & eruditas, qvas Ser. Regi noſtro oſtendi, cui Majeſtati placuit ſubditi ſui diligentia expoſitis per me variis inventorum novorum uſibus & plenis authoris laudibus, Theatri noſtri gloriæ aliqvando inſerviturі. Evaſere tandem prælum opuſcula noſtra nempe Ciſta Medica, domus Anatomica, & Diſſertatio de Hepate Defuncto, qvam hic incluſam mitto. Optaſſem ſanè ut operationes Tuæ Chymicæ in Ciſta qvoq; legerentur, qvia verò venia tua id fieri

non

non potuit, tam diu iſto theſauro defraudabitur lector, donec ipſe commodum judicaveris. Interea ibidem leguntur amiciſſimi noſtri *D. Payngk* labores Chymici, qvos ſuperiori anno ab ipſo obtinui, qvi te plurimum ſalutat. Ampliſſimas gratias Tibi ago, qvod ex ſcriniis tuis ſecretioribus mihi communices, qvæ inter arcana artis ſervas. Rara ea eſt Chymicorum liberalitas, qvi ſibi plerunq; ſervant, qvæ Natura ipſis aperuit. A te iſtam invidiam removes, qvæ illorum tantum mentes occupat, qvi inopiâ qvadam laborant. Qvanqvàm verò hoc ſtudiorum genus diu depoſuerim propter oculorum imbecillitatem & vigilatas noctes, tamen deſiderio naturæ interioris ſubinde accendor. Miratus ſum qvum inter tuos labores legerem, qvonam luto teſtas tuas conficeres, qvæ omnem ignis vim eluderent & à ſalibus qvoq; tutæ eſſent. Qvin præſtare poſſis ea, de qvibus ſpem feciſti, non dubito, qvia omni fide es digniſſimus; nec etiam dubitare audeo, niſi ſecretiſſima ſint, intimioris notæ amicis Te tuaq; nonnulla revelaturum. De *Eyſſonii* experimento nihil hactenus inaudivi, nec qvis ille *Reuunerus* Chymicus ſit. Ad nos deferri cœpit Tinctura ſolaris *Amelungi* Lipſienſis, qvæ eosdem patitur manes; laudatur

enim

enim ab his, culpatur ab illis. Magnam tamen ejus in pellendo calculo efficaciam deprædicat Magnificus Acad. Rector D. *Scavenius* noſter. Plurimorum apud nos opinio eſt, ex Salearmoniaco eſſe confectã, nec ſapor aliud ſvadet. Nuper magnam ejus copiam ad nos attulit cognatus *Amelungi*, magnoq; pretio divendidit. In Republica noſtra literaria parum occurrit, mentione dignum. In cathedra Theologica vacua ſucceſſit M. *Pfeiffius*, cui qvoq; id indultum, ut ſervato priori officio ſolitisq; reditibus per vicarium diaconum fratrem M *Bremeri*, ut ferunt, parte laborum in concionibus ſublevetur. Faxit Deus ut omnia cedant in publicum bonum, cui Vir ille Clariſſimus natus videtur. Inter D. *Suabium* & Chirurgum *Jonam Nicolai*, orta de Mercurio præcipitato contentio, qvem in Steatomate qvodam pueri in natibus hærente hic adhibuit, ille damnavit. Rogati Medici noſtri ſententiam de hac qvæſtione ſine ullius partis præjudicio pronunciarunt: Mercurium præcipitatum probè præparatum in ſteatomate partis muſculoſæ & remotæ externè tantum qvantitate duorum granorum per tres qvatuorq; dies adhibitum, non poſſe ex ſe diarrheam, vel Paralyſin vel metum mortis adferre. Chirurgus

hac

hac noſtra ſententia elatior, typis hæc aliaq; commiſit, ut laudatum Medicum diffamaret, publiceq; per plateas divendidit, unde commotus jam *Suabius*, anteqvam in Sueciam ſe recipiat, ſtatuit judicio cum Chirurgo experiri, noſq; in aliam ſententiam flectere. Exitum Tibi perſcribam, ſi volupe fuerit tuas curas huc demittere. Hiſce vale, mi Borrichi, & me ut ſoles ama, ſemper Tuum. Salutant Te Collegæ omnes honoratiſſimi. Salutem nuntia Generoſiſſimis Gersdorphiis, ut & Vorſtio, Lindano, Sylvio, van Horne caeteriſq; Academiæ Leidenſis luminibus, Jacobæo pariter noſtro & Braëmio. Hafniæ XIV. Februar. cIↃ IↃc LXII.

T. T.

Th. Bartholinus.

EPIST. XCIX.

De Blotteſandæani ſcripti Auctore, ſalis nivalis naturâ, Burrhi artificio reſtituendorum oculorum, rene urinâ pleno &c.

Thomæ Bartholino Hafniam.

Officioſiſſimis literis Tuis oppidò exhilaratus uno torqveor, qvòd Blotteſandæi Epiſto-

Epiſtolæ mihi vindicentur. Idem creditum hîc initiò Medicis qvibusdam Leidenſibus, ſed qvantum abſim ab ea culpâ, notum Amicis, qvibus ego familiariter & qvotidie hîc agnoſcor. Nihil mihi cum litibus alienis, qvi veritatem ſæpe exiſtimem amitti litigando. Vox Deuſingii in nuperis ad D. Vorſtium literis: *Bartholino commiti ſi metuiſſem, neqvaqvam illi contradixiſſem.* Absq; illo Blotteſandæo eſſet, jam brevi plenum convitiorum librum contra Te forſan vidiſſes, qvod in nuperrimis & Eruditiſſimis Diſſertationibus de hepate Defuncto (qvas non tantum ego, ſed & Dn. Sylvius, Dn. van Horne cupidiſſimè perlegimus) Deuſingium voces Bilſianum, qvod juramenti neglecti reum poſtules, &c. nam hæc poppysmata ferre neqvit nauſeabundum ingenium, nunc qvam integra convitiorum plauſtra publicè contra illum Blotteſandæum evomuit, ſpes eſt usq; eò deferbuiſſe ejus venenum, ut tam ſubitò iterum ſpumare neqveat, titillante licet Cl. Bartholino; jam cenſuram libri illius Boyleani imprimendam obtulit Typographo, qvin & Digbæum de pulvere ſympathetico brevi etiam, ut ſperat, in triumphum ducet. Ciſtam Medicam Tuæ Excell. raptim jam percurri, opus plenum eruditionis, plenum pietatis, gratulorq;

tulorq; ex animo Anteceſſoribus Medicis noſtris, qvi ad Achillem ſuum depredicandum etiam mortui novum invenerunt Homerum. Nec tam ingratam futuram auguror poſteritatem, ut non etiam Alexandro ſuus naſcatur Plutarchus, ſuus Curtius. Cl. Payngkii labores ſummopere æſtimo, & magni laboris, induſtriæ, ingenii opera agnoſco, ſi eò familiaritatis deveniſſem, rogarem Exp. Virum, an Ol. illud ſalis nivalis ſit ſalini generis an verè oleoſi (ſive Sulphurei generis, qvale ego inde ſoleo extrahere) An Sulphur Vitrioli narcoticum, qvod poſſidet, verè ardeat, (qvale hîc vidi) Magnopere me delectant illius in Aereïs ſubſtantiis, & meteoris labores; ego me nondum, ita felicem ſenſi, ut ex aëre, glacie, rore, nive, pruinâ, pluviis ſalem fixum potuerim extrahere, imò ne vulgariter volatilem qvidem, ſed medii generis, cubicæ figuræ, ingenio pæne ſalis communis (nam ſalem communem inter verè fixa ſalia hactenus numerare non auſim) ſalem autem fixum, hoc eſt, cum ſpiritibus acidis potenter efferveſcentem, ſive alkalicum neqvaqvam licuit inde exprimere. Sed forſan per ſalem fixum Cl. Payngkius non alkalicum, ſed ſali communi vicinum intelligit, & in eosdem mecum incidit labores. Salem & liqvo-

rem

rem ignis elaborare rarum eſt; eò recidit Dn. Sylvii mens, ut exiſtimet ſalem ignis penetrare vitra & pondus addere liqvefactis, ſed ſeorſum hæc duo ſiſtere, meis viribus majus eſt. Et illa pulchra: Ol. talci ſine igne, Calcinatio Solaris ſine igne, Ol: Vitrioli & Sulphuris per deſcenſum Noſter hîc Dupont Gallus per campanam deſtillat ſp. Sulphuris tantum die uno, qvantum alii vix decem, raro etiam artificio. Percuperem ſcire num Sulphur Veneris Dn. Payngkii verè ardeat, qvale memini me olim extraxiſſe. Hîc omnia plena curioſis. Præter alia varia, novum qviddam nuper à Burrho inventum: Ille ſcalpellum altiſſimè adigit in ipſam pupillam canis, anſeris, &c. exprimit deinde digitis omnes ex oculo humores, etiam vitreum, & cryſtallinum (qvod ego his oculis jam bis conſpexi) per Siphonem aqvam qvandam medicatam guttatim iterum in oculum infundit, qvæ primò reliqvias humorum oculi in canthum oculorum expellit ſtrophiolo demendas, hinc bulbum oculi ad priſtinam rotunditatem explet, qvo facto permittitur ſibi beſtia, & aliqvot diebus iterum tantillum aqvæ ejus medicatæ aſpergitur. Dictu mirum, nono die efficaciter videt iterum animal, redeunt colores, redit ſubſtantia humorum, qvalis

lis ante digitis expreſſa fuit, idq; in utroq; oculo tentatur, ne qvis altero oculorum uti exiſtimet animal, altero excæcato. Qvod ſuperat, illos novos oculos iterum per Chiasmon incidit, iterum exprimit humores, infundit aqvam ſuam albam medicatam, redit iterum viſus animali, ſolæ cicatrices in tunicis oculorum remanent, ſed qvæ & ipſæ ita ſenſim tenuantur, ut vix conſpici qveant. Alterum ex urbe noſtrâ Leidenſi novum: Dn. van Horne, me & Dn. Jacobæo comitatus nuper infantem recens natum inſpexit, in qvo præter monſtroſum os in qvatuor angulos efformatum (qvod fiſſum ſuperius palatum naſi etiam inferiora perverterat) id peculiare nobis conſpectum: Ren ſiniſter totam pæne capacitatem abdominis implebat, intumuerat ita venter, ut alii hydropem, alii vel hepar vel lienem luxuriare crederemus. Sed aperto ventre deprehendimus renem dextrum naturali eſſe ſimilem, ſuccenturiatum qvoq; renem ſiniſtrum ſatis ſanum, ſed renem ipſum ſiniſtrum pileo meo magnitudine reſpondentem, vaſa ſangvinea exterius in eo ita magna & conſpicua, ut majorem calamum ſcriptorium ſuperarent, apertus ren profudit ex ſuo penu ad duas pintas aqvæ ſubflavæ; mirati cauſam depre-

hendimus ureterem ſiniſtrum fuiſſe per omnia imperviam, hinc urinam in rene ſtagnaſſe aliqvot haud dubiè menſibus. Vivebat tamen fœtus aliqvot à partu horis. In eodem latere ſiniſtro manifeſtè deprehendimus teſticulum fœmineum cum alâ verſpertilionis dicta, & ductu ad uterum ferente, nullus tamen aderat uterus, nam maſculus erat, & ſcrotum ſuis teſticulis inſignitum. Alioqvin & hîc Amſtelredami varia rariora mihi viſa apud Eruditiſſimam Poëtriam Catharinam Qveſtiers, qvæ ingenioſiſſimè non tantum pingit, ſculpit, poëtatur, ſed balſama omnis generis raro artificio à rancore defendit, in Chemicis ita qvoq; verſata, ut ſine igne, ſine glacie, ſine nivibus, qvovis anni tempore ex plantis omnis generis deſtillando aqvas efficaciſſimas elicere poſſit, qvod artificium licet Dn. Vorſtius, licet ego, aliiq; magnopere ambiant, non paſſa eſt tamen ſe hactenus perſvaderi, ut ſecretum aperiret. Monetas etiam antiqvas magno numero poſſidet, ſed omnibus ſuis rarioribus rarior ipſa, qvæ cum obeſiſſima ſit & virgo, & locuples, ingenio tamen & arte certat cum virorum ingenioſiſſimo qvoq;. De Crucibulis meis jubeo Tuam Excellentiam eſſe ſecuram, quæ enim in Catalogo illo Gerſtorffiano deſcripſi, veriſſi-

veriſſima ſunt omnia. Si Amelungii antinephriticum ſine controverſiâ eſſet innoxium & ſalutare, optarem meo Chriſt: Gerſtorffio aliqvot ejus doſes, qvi graviſſime per intervalla eo malo affligitur. Reusneri illa aqva jam plane emarcuit. Si grave non eſſet, deſiderarem cataſtrophen audire controverſiæ Doct. Swabium inter & Chirurgum Antagoniſtam excitatæ. Ego hic jam varias herniarum ſectiones, & calculi per ſectionem extractiones apud Lithotomum Urbis felicem Rochum van Dijck per intervalla inſpicio. Plura jam non occurrunt, niſi qvod iterum iterumq; teſtari cupiam, me dum vixero, victurum

Amſtelod. 25. Mart. 1662.

Excell. Tuæ

ſtudioſiſſ.

Ol. Borrich.

EPIST. C.

De humoribus oculorum reſtituendis. Suffuſionis curatio. Cenſura Facultatis Medicæ Hafnienſis de Mercurii uſu in puellula.

OLAO BORRICHIO Amſtelodamum.

REdux ad nos Nepos meus ex Sorore chariſſimus *Jacobæus*, ſatis tuam fidem &

conſtantem amorem deprædicare non poteſt, gratulatus ſibi qvod in arctiorem tuam amicitiam penetraverit. Ego igitur etiam illius nomine Tibi, amiciſſime Borrichi, multa debeo, ſpondeoq; qvævis officia reciproca. In ſinu gaudeo, qvod *Blottesandæum* non ſis, in qvem Satyricum ſuum ſtilum ſtrinxit *Deuſingius*. Necdum reſcivi qvo animo meam reſponſionem ſuſceperit, qva non credo illum potuiſſe offendi, ægrè enim novis inimicitiis me implicarem hoc flexu ætatis. A D. *Payngkio* noſtro qvantum expiſcari potui, in eosdem tecum incidit labores in plerisq; qvæ ſignaſti, niſi qvod ſalem & ignis liqvorem ſibi ſecretum ſervet. Tibi verò gratulor de intimiore *Burrhi* Magni amicitia, qvi omnes mortales in admirationem ſui conjicit, meq; inprimis, qvi inauditis hactenus illius operationibus valdè afficior. Spondet nobis aureum ſeculum. Captum meum ſuperat, qvod humores omnes oculorum exprimi poſſint, & alii liqvores eodem commodo ſubſtitui. Fateor humores dictos medii tantum rationem obtinere. Cæterum an aureus ille vel certè auro juxta æſtimandus liqvor Burrhianus in triplicis medii diverſitatem concreſcere poſſit debeatq;, libenter ſcirem, & an ita alteratus

muta-

mutatusq; appateat qvando ſecunda vice, ſicut ſcribis, eadem pupillæ ſectio repetitur. Ut enim vices illorum ſuppleat, in eandem figuram debet concreſcere, niſi alius ſit horum humorum in oculo uſus, qvam hactenus credidimus. Omnem admirationem ſuperaret ars hæc divina, ſi ejus ſucceſſum in homine qvoqve probares, in qvo perfectior eſt oculi fabrica, qviq; mutationis ſeriem veritatemq; enarrare poteſt. Cataractæ certè ingens erit præſidium, dubito autem, an gutta ſerena ex vitio nervi optici qvidqvam inde commodi qveat ſperare. Qvidqvid ſit, omnium Oculariorum veterum & recentiorum conatus poſt ſe multis paſſibus relinqvit artificium Burrhianum. Fuere qvidem alii, qvi non abſimilia in humoribus oculorum attentarunt; non credo tamen cum Burrho, illuſtri Naturæ amaſio, comparandos. Succo ulmi deperditos oculorum humores reſtitui, narratur. *Duncano Liddelio* notæ famæ Medico familiare fuiſſe magnus *Arniſæus* teſtabatur, humoris vitrei defectum albumine ovi ſupplere. At qvis de cryſtallino humore tale qvid aut tentare fuit conatus, aut cogitare? Ego vix fidem narratis adhiberem, niſi & Tu eſſes oculatus teſtis, & Burrhum minora miracula ſci-

rem dedecere. Hac occaſione ſimilem naturæ benignitatem annotabo, qvam currente anno expertus eſt Michael Schow noſtras. Suffuſione oculi ſiniſtri per aliqvot annos laborans, morbo aliqvo nuper comprehenſus, neſcio adhuc qvo, ſua ſponte vel morbi auxilio cataractam ſubſediſſe obſervavit, reſtituto prorſus oculo, ſola filamenti ſpecie pro veſtigio relicta. Ingens eſt gloria Catharinæ Qveſtiers, major futura, ſi ſecretum ſuum aqvas ſine igne deſtillandi aperiret orbi. Inter noſtras feminas qvæ hactenus virtute & eruditione caput extulit, *Brigitta Tottia*, vivere Soræ deſiit. D. *Suabius* in procinctu eſt itineris. Jure Chirurgum adverſarium perſeqvitur, idq; impetratâ à Facultate noſtra aliâ Cenſurâ; ſed dum acerbius coram judicio urbano invehitur in adverſarium, mendaciiqve reum agit, juſtam ſuam cauſam fecit pravam, jamq; lis in ſuſpenſo hæret & indiremta, Magiſtratu urbano concordiam urgente & ſvadente. Cenſuram Facultatis noſtræ mitto. D. *Legardus* cum Sereniſſimo Principe noſtro ad exteros abiit. D. *Janus Naſchovius* Medicus Nidroſienſis in puteum lapſus miſerè occubuit. Ita ubiq; Medicis naufragia. D. *Wilhelmus Wormius* Olai filius ad cathedram Phyſices Experi-

perimentalis vocatus eſt, jure ſenii poſt Te gaviſurus. Pro filio ſuo Theatrum Anatomicum obtinuit amiciſſimus noſter *D. Simon Paulli* cum ſtipendio 400. Imperialium, pro qvo obtinendo variis carminibus utrinq; certatum fuit, qvæ proximè mittam. D. *Oſtenfeldium*, optatiſſimum Collegam noſtrum, à thermis Swalbacenſibus reducem brevi videbitis, cui eapropter felix iter precor, & Tibi omnia proſpera. Vale, mi Borrichi, meq; ſemper Tuum, ama. Saluta qvæſo *Stenonium* noſtrum, cui alia occaſione reſpondebo. Raptim Hafniæ prid. Cal. Jun. clɔ Iɔc LXII.

T. T.

Th. Bartholinus.

Cenſura Medicæ Facultatis Hafnienſis ſeu Reſponſiones ad Qvæſita D. Suabii.

Ad *primum*: *An puellulæ morbus fuerit contagioſus &c.* R. Qvandoqvidem id jam D. Svabius demum poſt curatum morbum qværit, nec ullus noſtrum ad curationem vel conſilium antea admiſſus, ut ne puellulam morbi hujus tempore viderit qviſqvam ex noſtris; nec ex actis & probatis ab utraq; parte in judicio noſtro prolatis, perfecta ulla cognitio de morbi eſſentia haberi poteſt; iccirco non

potuimus poſt tanti temporis moram qvicqvam ea de re ſtatuere, nec pro contagioſo morbum habere. Interim tamen ſi curatio à Chirurgo Jona inſtituta propriaq; ejus confeſſio conferatur cum morbi contumacia, videtur Chirurgus ſuſpectam habuiſſe malignitatem aliqvam, qvæ tamen nec ex medicamentis & alexipharmacis prudenter ad explorandum à Medico D. Svabio exhibitis, nec ex documentis demonſtrari poteſt.

Ad *ſecundum* : *An D. Svabii præſcripta & exhibita medicamenta, provocaverint vel provocare potuerint in puellula diarrhæam?* R. Ex duobus medicamentis à D. Jacobo Svabio nobis oſtenſis & à Pharmacopœo Johanne Kirckhofio præparatis & ſubſcriptis 26. & 27. Maji 1661. videre non poſſumus ex ſe diarrhæam provocaſſe, ſiqvidem ex methodi præſcripto fuere adhibita, nec puellulæ ex confeſſione parentum male ceſſere, & diarrhæa demum ſexto exinde die dicitur ſupervenisſe.

Ad *tertium* : *An puſtula in natibus puellæ fuerit ſteatoma?* R. Qvanqvam nemo ex noſtris iſtum tumorem viderit, de qvo judicium noſtrum exqviritur; tamen qvantum ex actis & probatis conjicere poſſumus, judicamus nec puſtulam fuiſſe, nec ſteatoma propriè ita peri-

tioribus

tioribus Chirurgis appellatum, ſed aliud tuberculum durum in ejusmodi locis infantum naſci ſolitum.

Ad *qvartum*: Qvod Aqvam Mercurialem concernit, qva Chirurgus Jonas juxta propriam in judicio prolatam præſcriptionem, ad fauces infantis eluendas uſus eſt, judicamus illam in adultis tempeſtivè & debita cautione in hujusmodi faucium affectibus non ſine inſigni juvamento adhiberi, & longè tutius qvam in infantibus, qvi expuere neſciunt illa qvibus os & fauces eluuntur, qvare maxima cautela in puerulis horum uſus ſvadendus. Et ſiqvidem ex documentis apparet, præſcriptam aqvam Mercurialem exigua valdè doſi, & magno infantis commodo adhibitam eſſe, nullo graviore Symptomate per longam moram ſubſeqvente; judicare non poſſumus iſtam aqvam mercurialem tali cautela & tempeſtivè faucibus infantis infectis inunctam mortem potuiſſe inferre.

Deinde qvod Mercurium præcipitatum ſpectat, in tumore natium à Chirurgo adhibitum, an cauſa mortis eſſe potuerit, ſi in ejus uſu Chirurgus perrexiſſet? Qvanqvam Mercurius præcipitatus in affectibus externis infectis, muſculoſis & remotis legitimè inunctus

non ſolum ſine periculo, ſed etiam magno commodo adhibeatur; tamen qvia in hac puellula à Chirurgo junctus fuit parti prope ani ſphincterem inſigni ſenſu præditum, referantqve documenta, vehementia inde ſeqvuta eſſe Symptomata, nempe dolores, tremores, & motus convulſivos, aliter judicare non poſſumus, qvam ex continuato uſu pulveris hujus mercurii præcipitati inſperſi in ulcere penè expurgato, propè ſphincterem ani, & perſeverantibus ſimilibus Symptomatibus, mortem potuiſſe accelerari in infante.


&c. &c.

FINIS.


Figuræ ſeqventes ſpectant paginam.

207. 314. 316.





Digitized by Google



INDEX RERUM
PRÆCIPUARUM
in
Centuria Tertia Epiſtolarum
Med. contentarum.

A.

Aceti ſpiritus qvomodo ſangvinem mutet. 422.

Aeris experimenta Boylei 307. 412.

Æſtus internus ulceribus externis curatus. 146.

Agnus duplici capite 398. natura 398. triplici lingva, ib.

Allium contra calculum. 344.

Alvi fæces per ſcrotum. 18.

Alumen qvo modo cruorem immutet. 422.

Anatome Bernenſis publica. 13.

Anatome hecticæ & hydropicæ. 206. hydropis 132 ícterici 419. monſtroſi fœtus 548. 433. variolis defunctorum 105. 389.

Aneurysma curatum in brachio 217. capite 218. natura ſanatum 221. qvodnam facilius curetur 219. in femore lethale 220. in Aneurysmate veſiculæ cruorem diu fundunt 216.

Animæ ſedes non poteſt inveniri 371. 372.

Animalia in rabiem verſa 198.

Antimonio necatus Card. Mazarinus 61. pleuritis provocatur 63.

Apho-

Aphoriſmi Hippocratis laudati 17. à Verderio rigidius examinati 16.
Aqvarum origo ex glandulis 263.
Aqvas ſine igne deſtillare 434.
Aqvoſus tumor in abdomine fœtus 349.
Archiatri & Profeſſores pari dignitate 116.
Arenulæ in conario 420.
Arteria aſpera ad renes & veſicam teſtudinis protenſa 352.
Arteria emulgens, ſi infletur, nihil admittit 423.
Aſcites nodoſus 930. ſalvo jecore 930.
Aſthma à cibis vel inducitur vel curatur 329.
Atrophia rupto lacteo thoracico 327.
Avaritia Medicos dedecet 114. 116.
Aurum chemicum Burrhi 410.
Aurum deglutitum colicam excitavit 285. in cœco hæſit 288. an diſſolvatur ib.
Aurum potabile ex nive 256.
Autoris amicitia cum Bauhino 57. 58. amicitiarum deſiderium 414. 435. calami defectio 4. 5. 8. 226. innocentiæ apologia 74. 75. 77. 113. 365. ocium conceſſum 381. 382. 897. opera 23. 355. 368. 399. 426. &c.

B.

Barba raſa cœcitatis cauſa 275. 276. 280.
Barbatæ feminæ hiſtoria

ria 406. 407. 408. ex Hippocrate illuſtrata 408.
Bilis in hepate retenta morborũ cauſa 123. ſecernitur per colaturam 124.
Bilſio repudium misſum ab autore 396.
Bilſium promptè ſecare 367. non ſine cruore 367. 383. autorem non eſſe epiſtolæ maledicæ. 75. 392. moribꝰ caninis præditum 97. & ruſticis 195. minus tamen qvam ejus interpretes 194. 364. 368. à Stephano autoris vapulaſſe 399. 402. omnes vana ſpe eluſiſſe. 347. thraſonem eſſe magnum. 365. 366. 378. 388. 391.
Blotteſandæi Epiſtolæ pro qvibus 411. à qvo ſcriptæ 425. 430. 435.
Brigittæ Tottiæ mors. 436.
Burrhi encomium 386. 404. an perenne 390. 409. diſcipulus 395. emplaſtra 387. nummus 410. 412. oculorum reſtituendorum artificiũ 432. theſauri 410.

C.

Calculi cordis 41. pulmonum 345. ventriculi 37. ex alvo 237. per urinam 237. 239.
Calculi fellis in aqva colliqveſcentes 362. qvia leves. 372. à vino generoſo concreti 373.
Calculi remedia fallere 342. varia ſæpe eſſe ſalutaria. 344.
Calculoſi ſectio, 132.

Calculus ex utero 103. 104. ejus virtus 103. in mola 104. veſicæ lateribus adhærens 128. globulo plumbeo ibidem annexus 128. 129. 131. an confringi in veſica poſſit. 343. 345.
Calorem accidens eſſe febris 303. 307. auctum non eſſe ſignum febris 293. niſi offendat actiones. 296.
Cantharides ſolam veſicam petere. 334.
Capitis vermes in rabioſis. 198.
Carteſius unde ſumſit qvæ de anima ſcripſit 369. in vitro fallitur 403. Hippocraticus fuit. 412
Caſtratio fæminarum 259, 260.
Cauda an ad curſum conferat 281. longa in brutis ad robur. 282.
Caudæ uſus 282. eqvinæ conſenſus cum inteſtinis, nervis, utero. 283.
Caudatorum hominum exempla. 281.
Celſus an artem medicam exercuit. 306. Rhodianus. 308.
Cenſura Facultatis Medicæ in caſu puellæ ex Mercurii præcipitati uſu externo. 437.
Cephalalgiæ venereæ remedium. 222.
Cerebrum ex nicotiana exſiccum 371. ejus ventriculi ſubſidentes 372. flavo humore in ictero pleni 419. lapideum in bove. 41.
Cereviſia medicata contra calculũ. 344.

Cha-

Chamæmorus Norwegiæ. 224.
ChemicæOperationes Borrichii 424. 426. Payngkii 427. 431. 432. 435.
Chirurgica opuſcula Trullii. 2.
Chirurgi vitium à Medico excuſatur. 217.
Chuſcus animal fœtus adultos in vulvam recipiens. 403.
Chyli motum Bilſianū experientiæ repugnare. 228.
Chyloſus fluxus ex thorace. 137. 254.
Chylum univerſum poſſe unico vaſe thoracis ferri 366. nutrire partes 141. an per meſeraicas venas eat. 347. 350. ad omnes partes nutriendas ire. 384.
Cinere Æthnæ pingueſcere oves. 289. Heclæ mori. 289.
Circulationis oppugnatores nuperi 310. defenſio. 311.
Citrium prægnans 154. 157.
Clitoridis excreſcentia 407. phlogoſis in furore uterino 407. oſſea. ib.
Coffè potus. 191. 193.
Colica ex aureis nummis devoratis. 285. ex cœco inteſtino. 288.
Collegium Naturæ Curioſorum in Anglia. 418.
Conarium Carteſii impugnatur. 371.
Confortatio præcipua ex laudano 201.
Corallorum tinctura ex menſtruo inſipido. 415. 425.
Cordis polypus 133. vindi-

vindiciæ 129. 196. flammula 294. 298.
Cor ferè in variolis conſumtum 106. 368. cruentum in febre. 420.
Cutem abundare glandulis. 263. 420.

D.

Dens cum pure ex aure fluens 67. ejus cauſa. 70.
De Deuſingio judicium rigidius 301. 365. 400. 414. 430. mitius 405. 414. 426.
In Diabete eſſe communionem lacteorũ cum emulgente. 333
Digiti ſex in manu 398. vaſti in Dithmarſo. 403.
Diſſidium inter Blaſium & Stenonium componendum 96. 287. 200. 405. de ſalivalis exterioris inventione 163. 185. 376.
Diſuria à partu difficili. 85.
Diſuriæ remediũ. 396.
Diuretica ſponte urinæ vias petere per lacteas. 334.
Dorſi tumor carnoſus. 107. vertebræ ablatæ ſine vitæ diſcrimine. 268.
Ductus hygrophtalmici inventio 50. 133. 363. an ita appellandus. 129. ſitus 363. origo, numerus, uſus 363. 364.
Ductus in thorace à thoracico diverſus. 92.
Ductus ſalivalis. Vid. ſalivalis.
Duodeni excoriatio. 362. circa Duodenum variorum morborum

borum ortus 362. an effervefcant chylus & bilis. 422.

E.

Emplaſtra ex materia volatili conſtare debere. 387.

Epileptici ſecreti effectus felix. 341.

Epitaphium Hepati ab autore erectum excuſatur 119. 361. vindicatur. 121.

Eunuchus pollutiones nocturnas patiens 261. calculoſus. ib.

F.

Fabulas veris hiſtoriis immiſcendas. 358. 359.

Febres cum exanthematis latis & purulentis. 98.

in Febribus acutis an & cur pulmones afficiantur 289. malignis ſedem in ventriculo eſſe & inteſtinis 156. 157.

Febricitantis anatome. 419.

Febris horrifica Hippocratis. 304.

Febrium ſedes duodenum 362. ſignum non eſſe calorem auctum 293. nec pulſum freqventiorem. 298.

Felleæ veſiculæ calculi. 90. 362. mergi non poſſunt. 372.

Fermentationis regulæ incertæ. 211.

Fibræ cerebri Carteſiani. 404.

Figuras in Anatomicis non lineas vel literas ſufficere. 127.

Fœtus alio fœtu prægnans 102. ejus probabilis ratio. 103.

Fœtus felis per os excluſus. 37.

Fœtus monſtroſi anatome. 348. 433.
Fœtus Muſſipontanus an fabuloſus 357. 359. qvid ſuſpectum eum reddat 24. 25. 26.27. tumoris anomali an ſpecies 29. 32. in Tuba uteri conceptus, exindeq; excluſus 39.
Fœtus poſt XVI. annos exſectus. 250.
Fœtus particulæ per umbilicum & inguina excretæ. 69. 70. 333. 358.
Foramen ovale in ſene patens. 420.
G.
Gelu refrigerata virgo in pudendis 145. inde orta ſymptomata. 146.
Gemelli ſex digitis. 398.
Gemellorum anatome. 421.
Glandulæ maxillares, potius collares an dicendæ 174. 178. an cum parotidibus conveniant. 182.
Glandulæ ſub cute innumeræ per fibrillas connexæ. 263. 420.
Glandularum diviſio in conglomeratas & conglobatas. 167. 168. 173. Uſus Wartoniani examinantur 181. 182. conglomeratarum uſus 262. 263.
Granatorum cortices qvare aperiant menſes. 255. 257.
H.
Hecticæ remedia. 203.
Hepar funeratum defenditur 3. deſeritur. 5.
Hepar XL librarum 8. ſcirrhoſum in corpore

re florido 9. ſalvum in hydrope 9.
Hepatis Officium, autori à Deuſingio inſcriptum 109.
Hepar Defunctû Deuſingio remiſſum 111 ejus munus eſſe per colatorium 122. ex Hippocrate 123. in eo bilem non miſceri 122. 123. ſed bilem ibi ſecerni 123. & lympham 124.
Hermaphroditi; viciniores feminis 403. 406.
Hernia varicoſa 51.
Hippocrates an lymphatica præviderit 248. 272. de lacteis explicatur 274. 278 279. rejiciendus non eſt 406. laudatur 412.
Hippocratis editio nova Segeri 247. per capita diſtincta cum indice 269. 270. liber de Puſtulis 277. flammula cordis 258.
Hiſtoria à Parlamento Gratianopolitano promulgata, fabuloſa 356.
Hiſtoriarum contemptus 359.
Homuncio ex ſemine in furno chemico 99. non enti annumerandus 101.
Hydropici anatome 132. 206. curatio 203.
Hydrops thoracis ex lymphaticis 327. ex lacteis 338. non eſt ventriculi affectio 338.
Hypochondriaci curatio. 80. ſedes affecta 362.

Hyſterolithos 32.

I.

Jalappæ doſis excedens 130. juſta 133. infuſum gratũ qvomodo fiat 133. 134.

Icterici anatome 419.

Ignis innati natura 299 occultus in principio febris 305.

Ileum putridum & arctatum in febre 313.

ex Imaginatione bomborum in obſidione tubercula infantibus impreſſa 152.

Incantationi nihil tribuendum 336.

Ingluvies qvomodo ſuffocet 328.

Inſtrumentis Natura in expellendo fœtu in Borea non utitur 71.

Inſtrumentum ad eluendum ventriculum 53. 55. Glauberianum in uteri clauſura 67.

Inteſtina inflammata in febribus malignis 157.

Inventorum novorum fatum. 126.

Invidia à Medicis exſulare debet 114. 116. 284. apud Chemicos freqvens 427.

Juniperus contra calculum 344.

L.

Labium leporinũ 348.

Laboratorium Gersdorphianum 424.

Labyrinthus Bilſianus ubi 375.

Lac in mammis ex ſanguine 142. in papillis puerorum 142. pullorum 143. refrigerare 149. febribus utile 150.

Lactei thoracici liqvor acidiuſculus 423. ingreſſus prope lymphatica valvula donatus

natus 423. dubia 324.
Lacteo thoracico læſo atrophia 140. & compreſſo 330. an inde citius hydrops oriatur. 338.
Lacteum vas in mammis an Coo cognitum 273. 278. à recentioribus plenè necdum obſervatũ 278. ad teſtes 334. uterum & mammas 339. 340.
Lacteus ramus an hepar ingrediatur 367. à receptaculo ad glandulam ingvinalem 93.
Lacteus thoracicus deſcendenti à collo lymphatico continuus 229. in axillarem immediatè ſe non exonerat. 229. valvula donatus 264. ad lymphatica colli aditum permittit 265. duplici oſtio 420. in gibbere afficitur 330. 331. 332.
Lapides effigie humana 31. in ventriculo. 207. 208.
Lapideus mictus calculorum parvorum & magnorum 337.
Laudani Langelottiani encomium 139. 190. in roborando vis. 201. ſeq. utendi modus 254. dubium illud in aliis 205. vindicatur 254.
Laudani Opiati effectus in alvo & lotio provocando. 192. 206. cauſa 201.
Lien canibus Hafniæ exſectus 208. 258. 415. an inutilis 300. in homine qvando amputandus 307.

Lien melancholici corruptum & diffluens 419. nunqvam in melancholicis peccaſſe obſervatus Sylvio. 419.
Lithopædio ſaxea durities 28.
Lymphæ motus hepar de throno dejecit 226. an liqvor ſit excrementum 228. 232. ſangvinis fluxum juvat 353. 381. à ſpiritibus animalibus an confletur. 377. 379.
Lymphæ motus ipsâ vita cur diuturnior 380. ſpiritus ejus acidus præter naturam eſt. 380.
Lympha ex naribus evacuata 232.
Lymphatica ex teſtibus cum ſpermaticis adſcendentia 8. in ventriculo 339. in homine ferri ab extremis ad centrū 375. 378. fellis olim Sylvio obſervata 380.
Lymphaticorum confluxus ad cavæ divaricationem 265. inventio non debetur Jolivio 46. ingreſſus prope thoracicum 423. Sceleton 393. valvula 7. 423. veſtigia apud Coum 248. 272.
Lymphaticum ramum hepar ingredi, non lacteum 367. vas naſi excretorium 227.

M.

Mammarum lactei tubuli 278.
de Manu tractatus 321.
Medicorum dignitas & immunitas 115. 117.

Melan-

Melancholici anatome 419.
Mercurialis aqva ad fauces qva cautione adhibenda 437.
Mercurii præcipitati uſus in ulcuſculis infantũ ſuſpectus 223. qvando in ſteatomate concedendus 428. an Symptomata gravia inferat 437.
Metaſtaſis urinæ ad alvum 333.
Meyſſonnieri opera 151
Microcosmus Hornii methodo inſolita ſcriptus 350.
Mictio lapidea vera 237. ficta 239.
Molæ duæ cum veſtigio duorum fœtuum 28.
Mola ſimilis monſtro capite & cauda lupi 276.
Monſtra imaginationi non Deo inviſo attribuenda 314. 315. bicipitia cur naſcantur 319. in utero non eſſe morbos 320.
Monſtri occultati damnum vulgo putatum 313.
de Monſtris judicium benignum 319. 320.
Monſtroſa facies in monſtro Fionenſi 316.
Monſtroſum occiput in alio monſtro 312.
Monumenti Hamsfortiani emendatio 315.
Morbilli extra cutem prominentes 98.
Morborum cauſæ ex Sylvio 400. 401.
Morbus ex incantatione lenitur remediis naturalibus 237. 238. an illi fidendũ 240.

Morbus Magicus 241. melancholicorum figmentis annumerandus 243.
Mumia Bilſiana durare non poteſt 195. ejus conficiendi modus 385. 411. pretium 402.
Mumia Horniana præſtantior 83. 94. 347. 375. 393.
de Mumiis Raymoudi opuſculum. 396.
Muſculorum figuræ Aqvapendentis. 397. Hornianæ 304. 396. qvo pretio veneant 423. Sceleton 397.

N.

Nares brutorum cur ſemper madeant 232.
Narium ſtillicidium in phrenitide 232. ex oculis per novum ductum 267.
Narium novus canalis 401.
Naturæ in fœtu pellendo & vulnere capitis curando providentia 71.
Natura muliebris duplex 10. ovium 398.
Nivalis ſalis oleum 431.
Nivem carere nitro 424.
Nivem & lanam vorant oves Islandiæ 289.
ex Nivibus ſal non extrahi fixum 431.
Nivis damna 150. uſus in refrigeratione corporis 145. 159.
Nivis ſpiritus 256. Sulphur & Sal cubicum 424. 431.

O.

Obſervationes Medicæ Scipperi 211. Seidelii 154. 343.
Oculorum humores reſtituendi ratio nova 432. 433. 435. 436.

Odor

Odor allii in fonticulis 335.
Odoratus brutis excellentior. 232. illis neceſſarius 233. ab humore dependet. ibid.
Odores urinarum ex aſſumptis 335.
Odor fragrans in corporibus humanis. 336
Omenti glandulæ ſcirrhoſæ 39.
Opii ſecreta præparatio 189. ejusdem uſus 190. in hydrope 193. particulæ 201.
Os cubiti fœtus ex utero ſolum prodiens 66. 222.
Os in membrana diaphragmatis 7.
Oſſicula in capite 371.
Oſſis ſacri tuberculum & abſceſſus 152.
de Ovo dubitationes 210.
Ovum alio ovo prægnans 158.
Ovum à muliere Hafniæ excluſum 101. 214. galli ejusq; ovarium 214. 215.
Οχετὸς aqvæ ductus apud Coum 248. 277.

P.

Palpebrarum ductus novi 363.
Paralytici N.T. autoris recuſi 271.
Parotides conglomeratas ſalivam præparare 177. Saliva abundare 181. lymphaticis gaudere. 181.
Partes corporis in lapidibus repræſentatæ 32.
Partus eqvi qvomodo repigretur 283.
Pecqveti conditio 417.
Pedis admiranda 321.

de Peditu theſes & problemata jocularia 15.
Pelicani deſcriptio vera 402 roſtrū 406.
Penis gangrænoſi amputatio. 46.
Penis vaſti hiſtoria 50.
Pericardium cordi adhærens 401. deficiens 406, ſine aqva. 40.
Phthiſicorum purgatio per renes 353.
Pili corporis ſuperiora verſus tendentes 418.
Pilorum affectus in ſuibus 280.
Piloſus homo 418.
Piſcinæ probaticæ veſtigia. 249.
Platonicæ philoſophiæ addicti 9.
Podagra calculi ſucceſſione levata 17.
Pollex manus duplex 398.
Polypus ex lympha naſi 232.
Pori cutis ſunt ductus glandularum 420.
Præpingvis femina 275. librarum 402.
Pratenſis laus. 315. patria 320.
Promotio Doctoralis Baſileenſis 12.
Proſtatæ neceſſariæ ad generationem 261.
Pullitiei Danicæ præſtantia 100.
Pulmones putridi & maculoſi in variolis 106. 389. putridi ex vulnere 138.
in Pulmonibus calculi 345.
Pulmonum anatome nova 307. 351. in bobus & ovibus 351. in ranis 352. avibus 352. Hogelandio viſa 353. Hippocrati probabilis 353. Uſus an

an ſit ad miſcellam humorum 353.
Pulſus inter febrium notas Galeno 298. an ſignum pathognomonicum 298.
Pulſuum mutatio à cibis unde 327. in Antipatro eſſentialis 328.
Pulveris Sympathetici effectus unde 72.

R.

Rabidorum eqvorum cauſa 198. remedium 199
Recidiva morborum 12. 14.
Ren in fœtu magnitudine deformis 349. 433. urina plenus 433.
Renum ulcus in Holſtenio 1.
Rigor apud Celſum an ſeponatur à febre 297. 306. qvomodo fiat ex Abenſina 304.
Rigorem febrilem eſſe febris partem 303. ſeq. eandem habere cauſam 304. 305. loco tamen differre 305.
de Rigore ſubtiles ſententiæ 305.
Riolani mors 20. Succeſſor Patinus 355. auctior Enchiridii editio 20.
Rosmari dens qvomodo ab Unicornu differat 290. 291. petrificatus & calcinatus 290. uſus pellis 291.
Rosmari & Urſi inimicitiæ 291.

S.

Sal Glauberi mirabilis 385. non ingredi mumiam Bilſianam 386.
Sal ignis 432. Spir. armon. in ſangvine cor-

corrigendo efficax 422. ejus facilis conficiendi modus ib.
Sal nivium cubiforme 415. 426. vitriolatum ex vegetabilibus 255.
Salivæ ortus 171. ex ſalivalibus motu lingvæ promovetur 177. per ramulos in os exprimitur 177. ex parotidibus qvoqve 181.
Salivales glandulæ 92. 168.
Salivalis ductus exterioris inventio prima 88. 89. 185. 370, 376. qvomodo inveniatur 363. Stenonianus dictus 91. 162. 362. uſus 267. deſcriptio 362. à Blaſio qvoqve obſervatus 161. deſcriptus 165. ſalivam fundit per ramulorum porulos in os 177.
Salivalis ductus lymphaticus eſt 181. whartonianus vett. fuit cognitus 208. 253. 394.
Sangvinem non nutrire 141.
Sangvinis varia mutatio ex variis affuſis ſpiritibus 421.
Sceleton ferreum 393. à Rege Daniæ emptum 423.
Sceleton muſculorum artificioſorum 397.
Sceleton notatum pro muſculorum origine 394.
in Scorbuto levis manus dor ſufficit 80.
Scribonii lectio defenditur 193.
Scripta Schoockiana 213.
Scrotum perforatũ 19.

Sectio

Sectio ſine ſangvine qvo pacto fiat 94. 385. 392. œconomiam corporis turbat 195.
Secundina una pluribus embryonibus ſufficit 250. etiam diverſi ſexus contra Riolanum 251. ſed per lineam diſtincta 251.
Semen eſſe ex chylo lacteo 334.
Septi lucidi fovea 362.
Septum lucidum non eſſe ſedem animæ 371. 372.
Silices ex puero rejecti 337. 344.
Singultus biennii 246.
Sperma ceti ex cerebro 291.
Spinæ diſtortio cur pueris ſit impedimento 330. an & cur ſenibus non obſit 331. cur periculoſior ad angulum ib.
Stella in cygno rediviva 2.
Stenonii laus 417. obſervationes 426.
Stibium an & qvibus proſit 63.
Strumæ in collo an radices habeant in meſenterio 352. an à lymphaticis ib.
Sudorum rivi ex glandulis ſub cute 263. 420.
Suffuſio oculi ſponte curata. 436.
Suffocatio cordis ex lacteis thoracis explicatur. 328.
Sulphuris ſp. conficiendi copia. 432.
Sulphur Veneris an ardeat. 432.
Syncope in jejunis unde 326. ex aqvæ peri-

pericardii defectu 406.
Σύνεσις qvomodo apud Coum explicandum 273. 279
T.
Tabaci pulvis ad viſum 267.
Teneſmi remedium ex laudano 192.
Terra Norwegica ochræ ſpecies 68. Scorbuti an ſit remedium 72.
Teſtæ ignis ſaliumq; vim eludentes 427.
Teſticuli feminarum in caſtratione exempti 260.
Thoracis vulnerati fluxus chyloſus 137.
Tinctura ſolaris Amelungi 344. 427. unde compoſita. 428.
Tonſura ad cutem ſalutaris 280. convaleſcentibus prohibita 280.
Tophi arietini 36.
Tophus ventriculi bovini 36.
Trimellorum partus 250. una ſecundina contentus 250.
in Tuba uteri conceptio 38.
Tuberculum in oſſe ſacro 152.
Tumor cancroſus ingvinis 47.
V.
Vaccæ an ſine teſticulis concipere poſſint. 260.
Valvulæ lateribus admotæ dant tranſitum liqvoribus 94.
Valvula nobilis coronariæ 45. 49. lymphaticorum & thoracica 255.
Vapores non alere. 326.
Vari-

Variolæ Islandicæ 20 an. repetentes. 390.
Variolis denatorum anatome 105. 389.
Vaſa carunculæ lacrymalis 226.
Vas narium excretoriũ Stenonii 227. ejus usq; 231. 232.
VegetiusMulomedicus à Rhodio illuſtratus 308.
Ventriculi affectio in variolis 106. lapis in hydrope 203.
in Ventriculo conceptum factum 35. 36. 37.
Ventriculum in febribus malignis eſſe affectum 156. 157. in hydrope qvomodo 338. 339.
Vermes gulæ 420. ventriculi 36.
Vertici uterus reſpondet 59.
Veſica duplex 7. 10. læſa ſine damno 131.
Veſica in avibus à pulmone ad abdomen 352.
Veſicæ membranæ cũ arenulis abraſæ 85.
Veterum ſcripta non negligenda. 248. 406.
Vicinitatis jus in corpore 333. 354.
Vini ſpiritus cruorem immutat. 422.
Virginibꝰ lac ex mammis poſſe fluere 143.
Virginis ſatyriaſis & pollutiones centum cottidie 145. æſtuantis cauſa 149. remedia ex fructibus, gelu, lacte 145. ſeq.
Viſum acui tabaco 267 amitti barba raſa 275. ejus cauſa 276. 280.

Vitri filamenta 403.
Ulcuſculis an præcipitatum conferat 223.
Vomitus magicus rerum variarum 242.
Ureterum dilatatio 336.
Urinæ ſuppreſſio unde 132. odoratæ unde 335.
ex Urinis monſtroſa per lacteas excerni citius 336.
Uteri conſenſus cum capite 59. 60. cum cauda 283. vaſa qvo modo hient 45. 49.
Uterini furoris cauſa & remedium 147.
Uteri vagina duplex 10.
Uteri vices aliæ partes ſupplent 34.
ex Utero fluxus fœtidus 66.
in Utero cur primo menſe nihil compareat 38.
Uterus putrefactus 250. caſtratis exſectus 259.

BIBLIOTECA ... ROMA ... VITTORIO EMANUELE

Errata graviora Typographica ita emendanda.

Pag. 14. lin. 16. ſervas p. 40. l. 2. ruptura p. 41. l. 12. alibi p. 84. l. 25. tamen p. 85. l. 6. deciduas p. 89. l. antp clariſſime p. 103. l. 25. partus p. 106. l. 6. inflammatus p. 150. l. 25. renum p. 152. l. 1. elementa p. 165. l. 7. generalibus l. 19. Wirſungianum, p. 174. l. 12. inventorem p. 187. l. 13. utroq; p. 194. l. 7. calumnias p. 198. l. 3. cui l. 10. me p. 206. l. pen. ſiccitate p. 212. l. 8. Schoockius p. 219. l. 18. eventum p. 230. l. 16. 1661. p. 233. l. 19. judicium p. 258. l. 6. *noſtri* p. 285. l. 7. reſpondeat p. 324. l. 7. Borrichii p. 330. l. 17. ſubjungit p. 331. l. 21. ſumus p. 352. l. ult. producere p. 361. l. 17. declamatoris p. 384. l. 8. experimento p. 385. l. 15. propiori l. pen. convertit hic p. 409. l. 16. ſupervacuam p. 410. l. 8. rariora p. 429. l. 12. cæterisq;. Non dubito ſupereſſe plura, qvæ benevoli Lectoris emendationi committimus.

Da veniam ſubitis: non diſplicuiſſe meretur,
Feſtinat, Lector, qvi placuiſſe tibi.

Digitized by Google